

**Exercitatio medico-physico-anatomica, de saliva humana ejusque natura
usu proprietatibus, &c; / [Giuseppe Lanzoni].**

Contributors

Lanzoni, Giuseppe, 1663-1730.

Publication/Creation

Ferrariae : B. Pomatelli, 1702.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s6jj8yvg>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



69724/3

J J
h 8

A.b
29

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

LANZONI, G.

HUMANI



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30525834>

IOSEPHI
LANZONI
EXERCITATIO
DE SALIVA HUMANA

ІНПЕСОЕ
ІМОЗИАЛ
ОІТЛІГЯЭЖА
АИАМИН АУІЛІСБД

JOSEPHI
LANZONI

PHILOS., ET MEDIC. DOCTORIS
FERRARIENSIS ,

In Patrio Lyceo Lectoris Ordinarii , &
Academie Leopoldino -- Imperialis
Natura Cursorum Collegę &c.

EXERCITATIO

MEDICO-PHISICO-ANATOMICA,
DE SALIVA HUMANA

Eiusque natura , usū , proprietatibus &c.



FERRARIAE . M. DCCII.

Typis Bernardini Pamatelli.
Superiorum permisso .


SOCIETY OF LONDON.
INSTITUTE
MEDICAL

TO THE MEDICAL DOCTORS
BARRACKS,

BY THE MEDICAL OFFICERS OF THE
ARMED FORCES
AND THE MEDICAL COLLEGE OF

OBSTETRICAL

MEDICO-PHYSICAL
AND HUMAN
DISEASES



BY M. DCCCLXV.

This Being the
Seventy-fifth

Reuerendissimo P. Magistro.

VINCENTIO CORONELLI

Artium , & Sacræ Theologiæ Doctori,
Serenissimæ Venetorum Reipublicæ
Cosmographo, ac Totius Seraphici
Ordinis Minorum Conuentualium
Ministro GENERALI
Meritissimo .

Joseph Lanzonus Sal., & Felicit.

Avetusta rerum memoria mos
receptus ad nos usque per-
venit , ut illi omnes , qui libros suos
publici iuris facere decernant , unum ,

† 3 aut

aut virum Dignitate conspicuum, vel
heroicis virtutibus illustrem, aut erudi-
tione celebrem, vel tandem Amicum eli-
gant, cui librum donent: Ita sapientissi-
mus Peripateticorum Pater Aristoteles
Eudemo, Nicomaco, & Alexandro Ma-
gno, Elegantissimus Poetarum Catullus
Cornelio Nepoti, Lyricorum Phænix Ho-
ratus Mæcenati, Incomparabilis Valerius
Maximus Tiberio Cæsari, Illustris Fla-
uius Vegetius Valentianus Augusto, &
magnus Naturæ Bibliothecarius Plinius
Vespasiano opera sua dedicarunt; Lon-
gum hic foret, & epistolæ minimè con-
ueniret ad inferiora descendere tempora,
& plura exempla, quæ passim extant,
undique velle conquirere; Itaque hoc qua-
lecumque meum Opusculum in lucem eden-
do, antiquum morem sequi decerno, nec
diu deliberandum fuit, cui potissimum
meam hanc dedicarem opellam, R E V E -
REN.

RENDISSIME PATER ; se
enim Dignitatem quero , pauci Dignita-
tis gradum tuo ξ qualem obtinent , si heroi-
cas virtutes , quis istis te fulget præstan-
tior , si Eruditionem . quis te dignior ob tot
egregia Edit a opera . si denique benevolentia
erga me tuam considero , quis tibi est præ-
ferendus , qui suavi comitate semper soles

Meas esse aliquid putare nugas.

Hanc ideo Exercitationem meam de Sali-
ua sub tuum conspectum venire sino Re-
uerendiss. Pat. Protectorem non habitu-
ram , quin potius sustinuerit Iudicem

Quò nil exactius , eruditiusque ,
Sed nec candidius , benigniusque .

Accipe igitur hilari vultu , & exorrepta ,
letaque fronte hoc qualemcumque munuscum-
lum , tanquam specimen , & testem mea

DA

† 4

erga

erga te obseruantiæ, idque si dignum tua
protectione videatur, tuere: Ego interim
D. O. M. enixe rogo, ut gloriam tuam
augeat, tua vota secundet, & ad tua
Illustrissimæ, ac semper Venerabilis Reli-
gionis perpetuum splendorem, & utilita-
tem, te seruet incolumen. Vale.

Regum orbis hiupilis allo anno

Ferrariæ die 27. Febr. 1702.

A D.



A D

LECTOREM

IAntum in me potest blanda
vis Amicorum , ut tenuem
hanc ingeniali mei opellam
publici iuris facer sustineā,
& vadum hoc tentare publicē Famæ ;
Nihil enim mihi minus in animo erat ,
quam huic me deuouere curæ fastidio-
so hoc

so hoc ; ac delicatioris palati sæculo ;
quò plures sunt Aristarchi , quos hodie
alit obtrectatio , ut verbis utar Stobæi ,
& plures Sychophantæ , qui iejunè ma-
leuoli , nihil præter odium Litterarum
profitentur , & ut nihil sciunt , ità om-
nia carpunt acuendo linguas suas sicut
serpentes , omnia Theoninis dentibus
dilacerando , ad vituperandum procli-
uiores , vt ait Plutarcus , quam ad lau-
dandum , & quià quot homines , tot
sunt sententia , ideo stat prò certissimo ,
quod scribendi modus , qualiscumque
sit , voluntates omnes explere nequit ,
omnibus enim placere difficultum est :
Vicit nihilominus Amicorum importu-
nitas , quibus me totum debeo . & li-
cet mihi plus discendi incumbat neces-
sitas , quam suppetat docendi facultas.
vt loquar verbis Illust. Boylei in Tent.
Physiol. , attamen Exercitatio hæc de
Saliua

Saliua humana respicit lucem , cuius
leuolendo pagellas , ut te benevolum
Lectorem præbeas enixè rogo , & hunc
qualemcumque ingenii mei factum ,
æqui , bonique consulas oro ; Obser-
uabis autem perlegendo , me multos
passim Authores , & plures forsitan ,
quam par esset adiecisse , quod tamen
haud iniquo , ut spero , feres animo ,
necessum enim duxi verbis meis Docto-
rum Virorum testi noniis in medium
allatis fidem conciliare ; nec per hoc ,
quod aliorum sententias transcriperim ,
me dannes vellim , nam recte in sui Eu-
nuc. Prologo cecinit Terentius.

Nullum est iam dictum , quod non
dictum sit prius ,
Quare et quum est , te cognoscere , at-
que ignoscere .

Plura

Plura quidem cireà Saliuam addere
potuissim , ast cum non volumen ; sed
tantummodo Exercitationem paruam con-
scribere decreissein , nolui iusta mole
eandem excedere , præceptorum me-
mor Stohei lectione , & doctrina mira-
bilis , ne verbis multis pauca comprehen-
das , sed paucis multa , & antiqui At-
heniensis Comici Menandi

Impudentes sermones hoc solo iuuantur.
si fiant breues ,

nec non Lyricorum Phœnicis Horati
in gremio Musarum educati

Quidquid præcipies , esto breuis , u-
cito dicta.

Percipient animi dociles , teneant qu
fideles .

STYLUS

Non-

Nonnulla forsè in huius
Opusculi impressione Menda, & Sphal-
mata, tūm ob oculi mei præteruolan-
tis indiligentiam, cum ob Typographi
incuriam, quæ iuxta rei sentium facili-
ter apparentem, ut emendes rogo; com-
mata verò, & distinctiunculas alias,
quæ hinc indè negligenter impressa in-
uenies crisi tuæ, & arbitrio committo;
Interim Vale, ac me ama.



Hie-

HIERONYMI BARVFFALDI

Ph. D. Ferrarien.

In Unde quaque Clarissimi Viri, & Amicis
Candidissimi

IOSEPHI LANZONI

Med. Ferrarien., in Parr. Lyc:
Lectoris.

O P U S

De Saliva Humana.

PHALEUC.

Quid, LANZONE, tot editis libellis,
Quos non Occidui inuident Eois.
Quos nec postera peierabit ætas,
Huic nostro decus attulisse sacllo,
Quid LANZONE nouū vones Minerua
Phæ-

Phæbæ Artis Opus BONE SALIVE?
Non sat Peonia quot Arte claros
Regali Padus & ducauit vnda
Chartis vivere? non sat orbe nosci
Condiri queat Arte qua Cadauer?
Non sat Citria, non satis Corollas
Eternam ingenii olere Famam?
Sunt hæc crede mihi, satis superquæ,
Ut doctum queat usque ad astra Nomen,
Vel visu inuidiæ probante, tolli,
At perge, & noua semper Eruditis
Mentis prome penu diu repostæ,
Quo, si plus nequeat, nitere nomen,
Saltem nomine Res tuo nitescant.
Ipsa, dic rogo, quid fuit S AL IV A
Olim sordidiusque, viliusque?
Quid nunc nobilius, salubriusque?

Canebam in meo Museo Ferrarie Kal. Febr. 1702.

— O I Fran-

Franciscus Iustinus Phil., & Med. Doctor.

LEGI iussu Reuerendissimi Patris Inquisitoris Generalis Ferrariae, nec sine animi incunditate eruditam hanc exercitationem, cuius titulus est, *Josephi Lanzoni Philos. & Med. Doctor. Ferrarien. Exercitatio Medico-Phisico-Anatomica de Salvia Humana eiusq; natura usu, & proprietatibus &c.* quam publica luce dignissimam iudico, cum nihil praecontineat, quod Moribus, Principibus, aut Ortodoxæ repugnet Fidei, imò innumeræ non solum medicas, & anatomicas eruditiones, sed etiam philologicas voluptates, in quibus Medicorum simul, ac humaniorum litterarum Professorum animus erudiri poterit,

Die 14. Ianuarii. 1702.

Attenta suprad. attestatione, & approbatione &c.

Imprimatur.

Fr. Carolus Franciscus Corradus Vicarius Generalis S. Officii Ferrariae.

Dominicus Catalanus Vicarius Generalis.

(8)

JOSEPHI LANZONI


Philos., & Med. Doct. Ferrarien. &c.

EXERCITATIO.

Medico-Physico-Anatomica de Saliva humana,
ejusque Natura, usu, proprietatibus &c.

CAPUT PRIMUM.

De Salivæ Natura, & causis.



T à nomine incipiam, & rem ab ovo, ut dici solet exordiar, saliva dicitur, quod salis saporem habeat juxta Perotum, & Laurentium, vel à saliendo, quod in ore saliat, & crescat, ut Rob. Stephano placet, sive à salvando salvia, quasi saliva nuncupatur, eò quod multos morbos salvet, ac salvet, ut cum Galeno, Plinio, Martinio, & aliis Cornelius à Lapide scribit; Varias hic humor sortitus est definitiones, ac no-

A

mina

mina juxta varias Doctorum sententias; nonulli
 enim salivam, tamquam inutile corporis ex-
 crementum considerarunt, qui tamen à Gale-
 no admonentur, salivæ generationem inter ca-
 esse, quæ providè à Natura fiunt; undè me-
 ritò alii velut utilissimum machinæ humanæ
 laticem salutarunt; hinc cum Jungkenio, &
 Bohnio Zypeus, salivam, humorem serosum
 ex ductibus salivalibus extillantem definiuit;
 primum Naturæ menstruum in humano Labo-
 ratorio vocavit VValdscmidtius; Liquorem à
 sanguine separatum per proprias glandulas Tau-
 ry dixit; Principale chilificationis menstruum
 Georgius Bagliuus; primariam alterationis ali-
 mentorum causam Deleboe Sylvius; humorem
 præparatum à parotitibus glandulis Sachius
 Simplicem lympham Paulus Ammannus in
 sua parènesi; humiditatem ex sero à sanguine
 massa segregatum Gerardus Blasius; Va-
 porem è ventriculo per œsophagum in os af-
 scendentem, ibique condensatum Cartesius;
 Excrementum glandularum, quæ sub lingua
 reperiuntur Zachutus; Spumam fermenti Gre-
 bnerus, & humorem aquosum planè insipidum
 Vartonus: Lictis autem hisce variis salivæ no-
 nomi-

minibus, ac definitionibus, ego salivam def.
inio, liquorem limpidum, ex arterioso san-
guine à glandulis propriis separatum, & per
salivales ductus in oris cavum ad usus varios
effusum; limpidum dixi liquorem, colori ta-
men, & perspicuitati aquæ aliquantulum ce-
dens, cum lucis radii in saliva, quam in aqua
paulò majorem subeant mutationem; quod
autem spumosa expuatur, non sibi, sed linguae,
& oris motui hoc debetur; hinc optimè asserit
Anton. Nuckius, spumosam ordinariò, & te-
nacem salivam reddi, quia linguae, musculo-
rumque maxillam inferiorem moventium motu
variè agitatur, undè sal, quod in salivali con-
tinetur liquore, fortè lixiviosum, vnà cum
spirituosis acidis, & oleosis partibus, dum
spiritus volatilis dissipatur in avras, in spumam
abit, nivis modò albicans, quæ varietas
ex eo provenit, quod radii lucis tūm tempo-
ris maiorem, quām antè subeant mutationem,
magis tamèn spumosa saliva apparebit, si lon-
giori sermone humor salivalis agitetur; Acce-
dit quod aer assiduè inspiratus, & expiratus,
multum ad id contribuat, potissimum si sali-
væ diutiùs maneat permixtus, uti hoc videre

est in his , qui apoplexia afficiuntur , in quibus , dum liber aeris exitus denegatur , talis spumosa saliva ordinariò conspicitur ; Dixi à sanguine separati , quia arteriæ glandulis præter calorem , nutrimentum quoquè , simulque salivæ materiam suppeditant , quod probant magnè salivationes , vel spontè iubortæ , vel ab arte procuratae , quæ læpè crassim sanguinis vitiatam corrigunt , ac affectiones cruoris tollunt , quod sanè non fieret , si à nervis , vel aliundè salivæ materia deveniret : Negat autem Helmontius , salivalem liquorem à sanguine sequestrari , oriri statuens à suo latice humorali neglecto ; & cum Bilsio Deusingius , cum à rotifero succo statuit provenire ; Ast non tantum sanguinem arteriosum ad salivam construendam concurrere tradit Paul Ammannus , verum spiritus etiam animales per nervos in glandulas salivales derivatos : Effluit autem per proprios ductus salivalis lympha , de quibus singillatim scribam in secundo capite hujus meæ Exercitationis . Nomine vero salivæ hic non intelligo , quemadmodum confundunt aliqui , crassum illud , viscidumque liquamen , quod è tonsillis , tussi , aut screatu exprimitur ,

tur, quodue sputum nuncupatur, de quo tam
men nonnulla in ultimò capite differam, cum
varia circà sputum, & salivam ennumeravero,
nè fortè aliqua in præsenti meo tenuissimo
opusculo deficere videantur; Notanda hic so-
lumodò venit differentia, quæ inter sputum,
& salivam procedit; per sputum enim intelli-
gunt prudentiores Physici, humorem tenacem
in ore cum molestia redundantem, atque vel
ex cattharri defluxù collectum, vel ex salivæ
corruptione genitum, sive cum tussi à pulmo-
ne reiectum; per salivam autem liquorem na-
turalem in sanis intelligunt, non superfluum,
sed ad oris humectationem, ciborum masticationem,
concoctionis præparationem, & ad
alios usus necessarium; Pariter notanda est di-
versitas, quæ intercedit inter salivam, & illum
mucum, qui è cerebro per os cribriforme
delabitur & partim per nares evacuatur, par-
tim per palati posteriora ad fauces descendit;
non quod hic humor ratione originis multum
differat à saliva, sed quod mucus ratione
longioris moræ in via, sœpè alienam adipisci-
tur qualitatem, antè quam ad os perveniat;
Sanè liquor iste in homine sano in cerebri ven-

triculis satis fluvidus , ac tenuis existit , non
tantum verò instar salivæ oris ; propter quām
tenuitatem per minima foramina ossis cribri-
formis faciliter in spongiosa narium olla elabi-
tur , in quibus per moram , & per transitum
aeris , crassitatem , colorem , aliasque a saliva
alienas qualitates acquirit : Verum quia de
muco sermo intercidit , opere pretium existi-
mo , nonnulla obiter juxta mentem Clatiss. D.
Raymundi Vvieussens in sua Neurographia ge-
nerali lib. I. cap. 16. de membrana pituita-
ria adnotare ; hæc enim membrana est pars funi-
gosa , spongiosa , & glandulosa , plurimis diversi
generis instructa vasis , quæ propriè , ac primariò
ascendentis ad caput sanguinis , aquosis , lentis-
que succis excrementitiis excipiendis , & excer-
nendis apta comparata est ; dicitur autem pitui-
taria , quia , aquosæ , crasse , & viscidæ ascendentis
ad cerebrum sanguinis partes , ad illam amandan-
tur , ac in ea à sanguine secenuntur , & deinceps ,
vel screatu , vel narium emunctione extruduntur ;
ex quò etiam patet , quanta sit , à me jam dicta di-
versitas , ac differentia inter mucum , sceatum , &
salivam ; Talis verò membrana exiguis foramini-
bus distinguitur , & si digito comprimatur mucū

confessim emittit; & si è capite exēpta in aquam
 imītatur spongiae ad instar illius partes absor-
 bet , quod oculati inspectione observavit Ex-
 cellentiss. D. Franciscus Justinus Medicus , &
 Chirurgiae Professor expertissimus , nec non
 Anatomicus diligentissimus in sectione capitis
 unius Militis sœva peripneumonia extincti in
 Magno nostro D. Annæ Xenodochio , cui fœ-
 licissime operam suam chirurgicam præstat ;
 Hinc in ea membrana observantur quampluri-
 ma vascula glandulis intertexta , ac nerveç pro-
 pagines à nervis coniugationis quintæ derivan-
 tes , & arteriæ innumeræ suis comitatæ venis ;
 & notandum cum citato Vvieussens , hanc
 membranam pituitariam , multò pluribus ar-
 teriarum propaginibus , quam reliquas , oris
 partes irrigari ; siquidem ea , ubi spacium po-
 sticæ ossis vomeris parti , & maximo ossis oc-
 cipitis foramini interjectum occupat , & ubi tum
 os , quod Vomer nuncupatur , tum narium ,
 tum meatus duorum , qui à naribus ad fau-
 ces tendant , intetiora obducit , numerosissi-
 mis vasis sanguiferis intertexta appetet , que
 in plæxulos hepatis vterini plexibus non absi-
 miles abeunt , unde postea nil mirum , si len-

sis , & aquosis succis excipiendis , & excep-
 pendis aptam esse iam dixerim ; nam non tan-
 tum vasa cruris in hac membrana obseruan-
 tur , verum plures breves ductus , quos officii
 respectu muciferos nominavit D. Raymundus
 Vieussens ; Mucifera autem hæc vasa setam
 facillimè admittunt & in illa præcipue ejusdem
 membranæ pituitariæ parte conspiciuntur , quæ
 posticæ ossis vomeris , & utriusque ossis pa-
 lati parti appenditur ; hæc igitur membrana
 prædicta munera præstat , & ab hac mucosus
 humor derivat ; nullus enim est homo , licet
 perfectè sanus , qui sœpè , vel narium emun-
 ctione , vel screatu , excrementitum pituito-
 sum quendam humorē , non extrudat ; Cùm
 ergo differant vasa salivalia , ab his mucosis
 ductibus , cum differant glandulæ , & mem-
 brana , dicendum pariter erit , essentialiter dif-
 ferre salivam à muco , qui à membrana pitui-
 taria originem trahit ; de quâ membrana plu-
 ra cupientibus dabit in loco suprà citato Clas-
 riss. Vieussens Medicus Monspeliensis præstan-
 tissimus ; Differt pariter saliva à lympha , &
 à Succo pàncreatico , quamvis , & illa , &
 iste à glandulis ellaboretur ex sanguine arterio-
 so .

sò , quia in saliva non est manifesta aciditas ;
 ut in succo pancreatis , nec talis tenuitas , ut
 in lympha ; sed est crassior , & manifestè insi-
 pida , ideoque cum sit in essentialibus quali-
 tibus pituitæ similis , ita non differre sali-
 vam recentiorum ab antiquorum pituita do-
 cent Pomp. Sachius , & Daniel Becherus .
 Hanc non esse corpus simplex , sed composi-
 tum assero , variæ generis enim particulas in-
 se continet , salinas nempè , acidas , oleosas ,
 insipidas &c. undè difficile judicat Diemer-
 broekius singularem ejus compositionem exa-
 cte describere , quam tamen admirabilem esse
 testatur , omnibus siquidem alimentis facilimè
 admilcetur , siccis , humidis , oleosis , aquo-
 sis , falsis , sulphureis &c. nullum enim inge-
 ritur , cui non associetur , imò extrà corpus
 nostrum etiam cum argento vivo misceri , ei-
 que associari queat , cum alioquin alii simpli-
 ciores eterogenei humores , aqua , spiritus ,
 oleum , sal , ali que simul mixti à se mutuo
 recedant , cum quibus tamen omnibus saliva
 unitur , quæ sua mediatione , omnia illa non
 modo miscere , sed etiam inter se unire valet ;
 ita ut videatur , inquit citat. Diemerbroek ,

mercurius quidam humoralis , seu menstruum
 internum universale , quo quelibet ore assum-
 pta mox junguntur , & cum eo ad ventricu-
 lum descendunt , ut in eo omnium exactior
 dissolutio promoveatur ; Ex quibus omnibus
 judicavit Sapientiss. D. Joh. de Muralto Acad.
 Curios ; & Collega meus eruditissimus , una
 cum Silvio de leboe , ac Doleo , illam in se
 continere multum aquæ , parum spiritus vola-
 tilis , & minimum salis lixiviosi , cum olei ,
 spiritusque acidi tantillo inter se commixtis ,
 ac temperatis ; Ab hac tamen recedentes hip-
 potesi Jacobus Lemort in Chimia , Ettmulle-
 rus in Scrod. Dilucid. , Gulielminus de nat.
 sanguin. , Bagliuus in Epist. ad Pascolum , &
 Craànen de homine , salivam ex aliis constare
 partibus asserunt ; Lemort enim acido falsas
 tantum particulas in ea esse contendit exper-
 tus ; Ettmullerus spiritù acido armoniacali tur-
 gere scribit ; Gulielminus ex glutinofo liquore
 multis salibus solutis præsertim tartareis im-
 pregnato , multoque aere , conflatam esse
 ait ; Bagliuus sal nitro salinum universali ana-
 logum sali in se continere salivam edocet ;
 Craànen verò , hanc ex particulis tam acidis ,
 quam

quām salinis aqua mixtis componi afferit ; &
 quod mera aqua non sit eō probat , quod igni
 imposta , & in vaporem acta relinquat infun-
 do corpus album falso-acidum : Hanc autem
 post levem suarum particularum inter se agita-
 tionem , cum plurimis liquoribus tūm acidis ,
 tūm alkalibus , variisque spiritibus sese admi-
 sceri salivam observavit Clariss. Nuck , sive
 enim cūm urina , cūm sale absintii liquato ,
 liquore tartati , aquaforti , spiritu salis , spi-
 ritu nitri , oleo sa phutis , Spiritu urinæ , C.
 C. , sang. humani , sive horum aliquo admi-
 sceatur saliva , expertum novisse fattetur , post
 lenem luctam , se se omnibus , & singulis as-
 sociare , & de colore parūm tantum mutare ;
 hinc multa & varia experimenta chimica circā
 salivam à se facta refert citatur Nuckius , que
 curiosus lector videre poterit in cap. 2. suæ
Sialographie : Solumodo verò ex dictis mihi li-
 ceat colligere , quod licet inter salivam , &
 nonulos alios liquorēs , aliqua lucta observe-
 tur , attamen cum plurimis tamen exactè se-
 miscet , idcirco concludendum , quod ori ex-
 cepta , aut ventriculo tradita , cum esculen-
 tis , & potulentis jungi comodè possit , qui-
 bus

bus inservit prò meastruo fermentativo, quam fermentandi virtutem in se continere, præter dicenda in cap. 3., ubi de salivæ usù loquar, experientia comprobatur; nam si panis frustulum optimè terratur, multæque salivæ admisceatur, deinde in massa farinæ competenti indatur, & hanc fermentare faciet, pari paeto, ac fermentaretur ab ordinatio panis fermento; hinc Kergerus tract. de Fermentat. salivam fermenti naturam habere colligit, eò quod pulmenta cocleari facta, quòd ex hominis ore trahuntur facile, ac brevi tempore funduntur, & fermentescunt, cuius fermentatiæ virtutis causam, ex salina eius natura deducit Magnif. noster Præses D. Lucas Scroökius Dec. 2. Misc. A. N. C. An. 6. scol. ad obser. 62., imò plures alimentorum antè assumptorum particulæ salivam retinere docuit Dan. Tauri in Anatomia, ideòque aptissimam esse ad dissolvenda alimenta, utpotè illis valde homogenea, quoniam particulæ hujus solventis, rei dissolvendæ particulis eò facilius adherescere possunt, undè Galenus vires rebus masticatis præbere salivam scribit in 5. de comp. medic. sec. loc. . Hinc de natura parti-

ter hujus liquoris , an scilicet menstruum acidum sit ? an sulphureum ? saliva dubitare multi ; quisquis autem consideraverit , salivalem humorē ex sanguine suam habere originem , cum mercurio misceri , naturam aquę referre , & omnia dissolvere corpora , illum esse universale quoddam menstruum dicet , ab alimentis acidis , falsis , sulphureis alkaliū natura gaudentibus proveniens , undē postea omnia alimenta valeat dissolvere ; Proinde figit mercurium instar menstrui acidi , dissolvit sulphura instar alkaliū , inviscat in morem sulphuris , necnon dissoluit quoquē salia ad modum aquæ , atquē ad instar spirituosi , & salinò volatilis corporis excitat fermentationem , undē Clariss. Taury in cap. I. Anat. salivam nominat *Alchaeſt Helmontii* , cum solvens existat universale , quod omnes alimento species solvere potest , ac debet ; hinc refert Tachius Nobilem quendam in saliva quæſivisse materiam universalem , indèque hī quorem rubicundum impetrasse , sed ad scopum suum nihil ; Nec me latet , alios asserere in saliva solumdō , acidum quoddam occultum esse , hoc rationibus sequentibus probando .

do. I. Quià mercuum figit. II. Addita fa-
 rinæ fermentat. III. Corrodit vala cuprea,
 præsertim si sit saliva scorbuto, & syphilide
 affectorum. IV. Candenti ferro admotra re-
 linquit maculam, quam simplex aqua non
 facit. V. Impetiginem sanat illita. VI. Vi-
 scola est, atque. VII. In vestibus maculas tol-
 lit; verum ut hisce difficultibus respondeam,
 considerabo. I. Corpora quædam quæ non
 sunt acida, & mercurium figunt, ut There-
 bintina, quæ ope suæ viscositatis tantum hoc
 facit. II. Dico, non esse opus, ut acidum,
 sit illud, quod farinam fermentat, sufficit
 enim, ut sit spirituosum, vel ut obstruat po-
 rositates, per quas materia subtilis motum
 ante liberum obtinebat. III. Concedo in lue
 venerea, & scorbuto, illam acidam esse, imò
 corrosivam, sed per hoc non infertur eam ta-
 lem esse in statu suo naturali. IV. Nullus ait
 eam simplicem aquam esse, sed salibus onu-
 stam, acidam solu nodò simpliciter esse nego.
 V. Dico reperiri multa alkalia efficacia, &
 fortia, ut V. G. oleum tartari, &c., quæ
 impetiginem curant, quarè neque ex hoc de-
 ducendum, salivam tantum modò esse acidam;
 sed

sed ob mixturam suam saline-sulphureo aqua-
 am , & consequenter abstersivam , talem
 virtutem habere ait VVedellius in Physiolog.
 reform. cap. 9.. VI. Therebintina licet etiam
 viscosa , tamen non est acida . VII. tandem ,
 multa salia , quæ sunt lixivialia , maculas à
 vestibus tollere compertum est ; undè conclu-
 dendum salivam humanam menstruum tantum
 acidum non esse , verū solvens quoddam mi-
 crocosmicum prò omnibus cœsculentis ; potu-
 lenta enim menstruum suum jam penes se te-
 nent , adeòque non indigent alieno , scilicet
 salivali , cuius energia præcipue habetur à sale ,
 quod in saliva tenet imperium , & à particu-
 lis aereis , quibus specifico modo ipsam con-
 diri asserit præclarissimus D. Aloysius à Fabra
 nunc in patrio ArchiLyceo Ferrarensi celebe-
 rimo eruditissimus Lector ordinar. in Dioptr.
 Phys. Med. de Nutrit. cap. 14., quas particu-
 las aereas ipsi salivæ tribuit quoque magnus
 ille Philosophus , & Mathematicus Domini-
 cus Gulielminus exercit. de sang. nat. pag. 102
 his verbis *Saliva glutinosa liquore , multis sali-
 bus solutis præcipue tartareis impragnato , mul-
 toque aere componitur .*

Quare autem magnus fiat salivæ proventus
in ore ex solo cibi grati aspectu , vel etiam
ejus auditâ descriptione , quærunt nonulli cu-
riosiores Physici : fieri q: hoc putat Craanenius,
quatenus conspectus , & imaginatio cibi grati
causat in nobis affectum animi ; Verum sup-
posito , aliquos nervos ad salivales glan-
dulas pervenire , ipsasque , ut docet Steno-
nius , motu posse gaudere , dicendum est ta-
le phænomenon ad glandularum motum saliva-
rium spectare , ex illa enim visione , aut de-
scriptione grati edulti sit motus in spiritibus
animalibus , undè maior pariter motus in
glandulis salivaribus habetur , ex quo motu
copiosus salivæ proventus per proprios ductus
in os extillat , hinc movere salivam ajunt Se-
neca in Epist. 79. , & Persius in satyr. 6. ,
super quem locum ita scribit eruditus Casau-
bonus quando anima movetur appetitù aliquid
edendi propter partium sympathiam statim saliva-
ria ore nascitur , tanquam suplente pro sua virili
natura defectum rei optat , quod etiam in aliis
affectibus simili ratione potest observari ; prè li-
bidinis etiam furore , & concubitus desiderio ,
salivam in homine abundare , ac uberiori effluere
nota-

notavit Lubinus in Juvenal. Satyr. 9. hinc
Persius cecinit ,

Nee gluto sorbere salivam mercurialem ;

Libidinis ergo impatientiam exprimit talis
salivæ copia , qualis erat in Pathicis illis, qui
ut refert Martialis Draucos , vel bene à Na-
tura instructos in balneis nudos videntes , ocu-
lis devorabant ; Imò habet famas vehementior
imprimis sibi fræquens hoc , ut uberiore, ac
tenuviore saliva os scateat , quod evvenire
putat Clariss. Johan. Bohn. circ. anat. pag.
mihi 128. progym. verò 8. , a causa famem
intendente , quia fluiditas hęc salivalis emer-
gere videtur aquosior ob nutritiarum molecu-
larum de positione, undè saliva uberior ad glan-
dularum ejus colatoria permeat , & in os de-
ponitur ; Sic ubi aliquid grati olfacimus co-
piosè in os suscitatur saliva , quia nervi paris
vaghi non tantum propagines , ad ductus, &
salivares glandulas demittunt, sed etiam aliquos
ad nervos olfactorios , undè facto in hos in-
fluxu fortiore , augetur & ille in nervis paris
vagi , quò ulterius fibrillarum contractionē,
ductus salivæ angustantur, & sic salivam ipsam
ejciunt , ità explicante Præstantiss. Franciscq

Zypeo Fundam. Med. part. 2. cap. 3. artic. 12.
 Vomitū verò instantē abundat pariter salivalis humor in ore, quia ventriculus, cum glandulis maxillaribus participationem habet, operamorum nervi sexti paris, continuando secundum suam tunicam interiorem, cum ea, quae in faucibus, & palato existit, ac sic sympathicè contrahuntur, & liquorem suum eructant illæ glandulæ, eodem penè pacto, quo irritata Membrana, quae reperitur in œsophagi principio vomitus succedit; Cur autem glans plumbeus, sive cerasi nucleus in ore detentus, ac rotatus sitim sedet, facile coligitur ex lingue motu, quia linguam movendo, ductus angustantur salivales, & ita latex salivaris exprimitur, undè copiosus emmannans sitim arcet.

Hæc verò de natura, & causis salivæ usque adhuc dicta sint satis; nunc ejus vasa lustremus.

CAP. SECUNDUM.

*De Ductibus Salivalibus, & de secretione
Salivæ.*

Non omnia apud priores meliora esse inquit Tacitus lib. 3. Annal. , sed nostra quoque ætas multa laudis , & artium imitanda posteris tulit

Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.

Sapientiam sibi ipsis ad mere scribit Lactantius lib. 2. divin. instit. cap. 8. , qui sine ullo iudicio majorum probant inventa , & ab aliis pecudum more ducuntur , nec quia nos illi temporibus antecesserunt , sapientia quoq; patiter antecessere ; veterum enim opiniones patrum exactas , ac rudes esse ait Seneca , undè optimè Poeta cecinit

*Vilia sunt nobis, quæcumque prioribus annis
Vidimus, & sordet quidquid spectavimus olim.*

Fatendum quidem reor in majorum nostrorum scriptis non contemnenda extare fundamenta artis nostræ , verum omnia veteres scivisse, & quæcumque præcipue in Anatome observas-

se, nihilque nobis perpendendum restare ne-
 queo concedere; multa enim adhuc restant in
 Microcosmo, semperque restabunt videnda,
 quæ tamen à nostris erunt speranda Nepotibus;
 quamvis enim plurima, qui ante nos fuere,
 ingeniosi, ac curiosi Naturæ scrutatores, ut
 Hippocrates, Democritus, Aristoteles, Ga-
 lenus, & alii plures, egerint, non tamen, ut
 ait romanè Stoë Princeps, omnia peregerunt,
 multumque ex veritatis inquisitione etiam fu-
 turis relictum est, quod sedula investigatione
 è Naturæ abyssu prothrai potest in lucem, un-
 dè Hippocrates ipse hanc veritatem confirmans
 exclamavit, scribendo ad Democritum; *Ego*
ad medicinę finē non perveni etiā si jam senex sim,
 & Galenus 14. Meth. cap. 17. *Plurima hodie*
inveniuntur, quæ apud maiores nostros non fue-
re inventa: Eandem esse Philosophorum, ac
 Anatomicorum rationem in peragratione micro-
 cosmi inquiunt optimè Celeberimi Manetus,
 & Clericus in Pr̄fat. Bibl. Anat., quæ Geo-
 graphorum, & Viatorum in itineribus terra-
 rum orbis lustrandi causa suscep̄tis; novas ter-
 ras per intenta olim maria postrema aperuerunt
 saecula, & quante adhuc supersunt ignotæ ter-
 ræ?

ræ ? Multa viderunt recentiores in humano corā
pore ignota veteribus , at quam multa relicta
sunt posterorum industriæ , quæ nos adhuc fu-
giunt ! In Patria certè adhuc Hospites sumus;
At quemadmodum verè vaticinatus est , qui
temporibus Neronis dixerat

Venient Annis

Secula seris , quibus Oceanus
Vincula rerum laxet , & ingens
Pateat Tellus , Tiphysque novos
Detegat orbes , nee sit terris
Ultima Thule.

Ità sperandum est : Impresentiarum autem
mibi sufficiat de novis ductibus salivalibus , &
de secretione salivæ secundum modernorum in-
venta differere ; quamobrem variè disputarunt
Anatomici de origine salivalis humoris ora ri-
gantis ; Multi enim salivam à cerebro per ocul-
tas vias provenire dixerunt , alii à nervis , &
succum esse nerveum putarunt ; à rorifero quo-
dam succo per lymphatica vasa eò destinata
oriti salivam credidere nonnulli ; aliqui per chy-
liferos ductus advenire voluerunt ; non pauci
demùm illam à sanguine per proprias glandu-
las separari , & per proprios ductus in oris ca-

vitatem demandari docuere: Ast qui per occultas vias salivam provenire contendaunt, anatomæ imperitos, se manifestè declarant, cum hæc vasa, non occulta, sed aperta in ore consistant; quæ fuere quoque adnotata ab eruditiss. Ccl. Rhodigino lib. 3. antiqu. lect. cap. 30. sub his verbis; *in linguis radice duo sunt orificia, quæ salivæ fontes dicuntur;* neque à nervis prodire dicendum est, cum nemo, quod sciam, adhuc succum nerveum aspiceret, ~~se~~ *quæ* *nervo talis non efluat liquor,* quemadmodum expertus est oculatiss. Graaf. de suc. pancr. cap. 2., neque in nervis sint idoneæ cavitates ob transiitum salivæ, cum sanè hæc constet è particulis crass' oribus, quam ut per angustissimos nervorum porulos pèrgat, per quos tantummodo spiritus animalis, non verò saliva transire potest; imò addit Clar. Diemerbroeck Anat. lib. 3. minimum etiam liquorem visibilem in poros nervorum incidentem paralysim inducere; quare nequeo me subscribere opinioni celeber. Malpighii cap. 3. de Cereb. cortic., scribentis hæc verba; *inter vasorum genus r̄ponendas esse nervas fibras,* vulgatum illud indicare videtur bis scilicet *septis copiosum quendam succum,* ovi al-

bumen referentem igneque concrescibilem emannare, ut in secto brachii nervo observavi; banc enim Malpighii sententiam, & experimentum Graafii, & aliorum, necnon rationes superius dictæ jam satis evertunt; succus autem illus observatus à Malpighio in nervo brachii secto nutritius succus non fuit, sed aqua, ut dicunt glarealis, vel articularis, qui est humor circum articulos, ad eorum humectationem, & lubricitatem subsistere solitus; de quo plura apud Diemerbroek. Anat. lib. 3. cap. 11., optimè igitur in hac rē eruditiss. Sbaragli, ait succum nerveum in mente hominum esse, sed non in natura; Nec magis autem saliva à lymphaticis vasis expectari posse asserit Nuckius, cum hęc vasa à partibus lympham cor versūs vehant, non verò econtrā; valvulae enim in his ubique obstant, præter quam quod ligature contra-rium satis manifestè demonstrant; neque à chyliferis ductibus deduci potest saliva aqua, quia chylifera vascula eousque non excurrunt, & quia chylus, si eò deferretur ad majorem perfectionem deberet excoqui, sicut fit in mesenterii glandulis, non verò in aliud minus alimentarem, & solummodo fermentaceum salivalem

humorem ibi imitari deberet; igitur à sanguine arterioso provenire est fatendum, omnes enim liquores in humano corpore, exceptis quibusdam stercoribus, ab illo proveniunt: Verum antè quam vasa salivalia describam, ac modum salivalis secretionis exponam operū præmium existimo, hic primò respondere eruditiss. D. Thodoro Janssonio ab Almeloveen in suo libro cui titulus *inventa novantiqua*, qui

Laudat præteritos præsentes despicit annos,
ut loquar verbis Corn. Galli eleg. 1., laudi, & gloriæ Novatorum invidens, ut verbis utar Ilustriss. D. Ant. Mar. Salvini in eruditiss. sua 2. Acad. lect. , & nimis fortalsè indulgens veterum autoritatibus, vel potius felicitatem, ac ingenii sui acumen ostentans, omnia pene inventa neotericorum, ut & vasa salivalia, antiqua esse documenta contendit; Hippocratemque, Galenum, Avicennam, aliosq: veteris Medicinæ Proceres, omnia scivisse, recensionesque Physicos, Anatomicos, ac Medicos ab illis mutatis verbis inventa sua mutuari, cui autori adheret Famatiss. Jo. Hieron. Sbaraglii Bononien. Medicus exercit. phys. anat. pag. 92. scribendo; *vasorum salivalium notitiam vetus*

Riffr.

Rissimam esse, sicut & multarum aliarum verum,
 quæ pro novis imponuntur, quamvis acutis clap-
 sis fuerint à viris preclarissimis cognitæ, & pu-
 blici juris factæ, & solum ab illis, qui ultimos
 libros, ultimosq: Autiores legunt, & adorant
 ignorata; quod pejus est calumniis, & contu-
 meliis illos à quibus acceperunt gratis prosequun-
 sur; De saivalibus ergo vasibus sic ait citatus
 „ Janssonius; Adebat Galenus de usù part. lib.
 „ 9. cap. 3. loquens per palati foramina, &
 „ paulo ulterius in palatum cœù in os foramini-
 „ bus desinenteribus; & lib. 11. cap. 19. continens
 „ jam in se se meatum cerebrum surgantium
 „ foramina sic iterum Galenus, quid igitur na-
 „ tura non ut palati os, ita, & capitis tenuibus
 „ foraminibus, quasi cavernulis quibusdam per-
 „ studit; quæ si justè perpendantur verba,
 „ hisce Galenum illa foramina descripsisse mi-
 „ hi facile persuase o, & ut absolvam ita Ori-
 „ basius ad hoc vinculum utrumque ex obliquis
 „ partibus ora vasorum, quæ salivam excipienc-
 „ tia dicuntur, invenies, in quæ descendere
 „ stillus posset; nobis hæc abundè satisfaciunt;
 „ tribuat jam quicumque voluerit diligentiss.
 „ Vvartono horum ductuum inventionem,
 „ quod

„ quod ad me , ego Galenum , Oribasium illos
 „ vidisse iubens agnoscam ; Hęc , & alia plu-
 ra habet clariss . Janssonius lcc . cit . ut credere
 faciat vasorum salivalium inventionem antiquā
 fuisse ; Quibus tamen omnibus titē , & rectē
 examinatis , luce metidiana clarius patescat ,
 aut circā structuram , aut situm Antiquos gra-
 viter erravisse ; nam licet dixerint , duo ostia
 sub lingua conspici , attamen nimis latē hoc
 sumptum est , per hoc enim non ostenditur præ-
 cisus ostiorum locus , idemque est , ac si aliquis
 diceret , in duodeno est ostium pancreatici du-
 ctus , quis mortalium sciendi cupidus per hoc
 fidem concederet , tale ostium dari , nisi acu-
 ratā demonstratione constaret ejusmodi ostium
 in duodeno inveniri ; imò addo , adsunt viæ
 breves , quæ à ventriculo tendunt rectā ad ve-
 scicam , ut patet ex accicula deglutita , & per
 urinas emissā sinè ulla noxa , quæ sanè per re-
 nes transfire haud potest ; ergo per hoc infer-
 tur , quod viæ istæ clarè sint demonstratæ , quod
 tamen sperandum ab oculatioribus Anatomicis ;
 sanè quod non , alioquin quod est tantum modò
 conjectura diceretur inventum ; Deinde salivam
 excipientia non sunt dicenda , quemadmodum
 facit

facit Oribasius , quandoquidem experimentis . certis sit manifestum , eadem ostia magnam salivæ vim eructare , ex quibus sane constat iusù partium assignando maximè antiquos circa- visse , nec Lector salivæ fontes

Ex ipsis veterum poterit cognoscere chartis.

Quatuor igitur juremeritò sunt dicenda salivalium vasorum genera , à quatuor pariter recentioribus Anatomicis adinventa ; Primus in hac re glaciem fregit Clariss. Vvartonus , qui in sua Adenographia cap. 21. primum salivæ ductum detexit è glandula maxillari interna imediatè provenientem presente collega suo celeber. Glissono , qui ductus radices suas capillares in omnes glandulæ istius partes equa iter spargit , & in aliquibus geminum ramum , in aliis plures ramulos emitit ; anterior autem ramus maxilla ab egessu extorsum fertur versus glandulam quandam minorem sitam intrà intimam maxillæ partem , & hanc glandulam maiorem ; estque diversi generis , cineritii coloris , substantiæ compactioris , minusque granellatæ , figuræ ovalis , que interno laterè impressura lœvi , & rotunda excavatur , è quâ prodit vas peculiare , quod rectâ fertur , & in glandulam hanc

hanc maxillarem distribuitur (sunt verba pre-
 cisæ clariss. Inventoris Vvartoni) circà locum
 dictum ; Posterior ramus spatio trium , vel qua-
 tuor digitorum è glandula egreditur priusquam
 cum anteriore caudice conjungitur ; simulac
 verò è glandulæ substantia prodit , fertur sub
 musculo maxillari tereti , biventri , vel diga-
 strico , qui eidem ramo , quasi trochlearē vicem
 præstat : Exinde reflittur ferè ad glandulæ
 medium , ubi cum anteriori ramo descripto , &
 pluribus ramis eidem quasi sociis unitur , &
 inde canalis communis ex horum concursu ali-
 quantò auctior redditur ; hinc canalis dictus
 rectâ anterius tendit , & à linguæ lateribus ni-
 mirum in inferiore ejus parte , cute , & pin-
 guedine glandulosa tectus , ductu tredecim
 pollices longo provehitur , & inter gingivas in
 maxillæ extremitate , inter ipsam , & papillas
 quasdam compressas , & rigidas ei pertinaciter
 adherentes in os aperitur , eidemque , quoties
 usus postulat humorē salivalem impertit . In
 Equo circà median linguae longitudinem utrin-
 que aliae glandulæ conspicuæ in ductum saliva-
 lem sese exonerantes occurrunt ; & notat cita-
 tus Vvartonus hanc glandulam , prò ut varia-
 tur

tur in junioribus , & senioribus Animalibus ;
 diversam servare sibi met ipsi proportionem , di-
 versam , inquit , & quodammodo contrariam il-
 li , quam thymus in iisdem animalium etati-
 bus obtinet ; nam quo junius est animal , eò
 minor hæc glandula , & major est thymus , &
 contrà , quo àtate grandius , nisi in extrema
 senectute eò major hæc glandula , & minor
 thymus .

Secundus aliorum vasorum salivæ inventor
 Nicol. Stenonis dicitur , eò qui à præter dictos
 salivales Vuartoni ductus adhuc alii duo utri-
 quæ unus Anno 1661. Mense Januario ut re-
 fert Diemerbroek , a Jo: Van' horne in publico
 leidensi anatomico Theatro demonstrati fuerūt ,
 quos ille tunc appellavit ductus Stenonios à
 Nicolao Stenone Dano , qui illi primus eos de-
 monstraverat ; in eorumque cognitionem casu
 inciderat , dum Amstelodami aliquandiù antè
 cum Hospite , & Preceptorre suo Gerardo Bla-
 sius , caput ovillum diligenter perlustraret , un-
 dè postmodum inter Blasium , ac Stenonem
 ortas esse lites ait in sua Medic. deffens. Erudi-
 tiss. D. Ant. Franc. Bertini vir omni scientiarū
 genere instructus , ac Amicus meus semper co-
 lens

Iendus, & primæ inventionis gloriolam æditis
libris sibi singulis vindicat. Originem habent
hæc vasa à maxima glandula ad radicem auris
sita quam St. nonis parotidem congererat
dicit, è quâ diss. Et multi ramuli conspicun-
tur, & extrâ maxillam decurrent ad centrum
musculi buccinatoris, & sic terminant in oris
cavitatem; observavit autem citatus inventor
in his ductibus præter propriam tunicam, va-
rios nerveos funiculos medium ductum ample-
xantes.

Tertius vasorum salivalium ad inventor exti-
git Caspar Bartholinus, qui Anno 1682. ob-
scuram novi ductus viam manifestavit, cum
glandulam protulit sublingualem ductū quodam
peculiari ductui Vvartonis adsito prodeuntem;
ante autem illud tempus anno scilicet 1679.
sub præsidio Aug. Quirini R. vni Lipsiensis qui-
dam Doctor post Dissertationem medicam
de Dysepsia, nonnulla corollaria adidit in-
quibus distinctissimè de his vasis, eorumque
origine, decursu, & orificiis loquitus est; quid-
quid autem de hac sit lite, videant ipsi; cre-
dere interim mibi liceat Casp. Bartholinum
Thomæ Filium, utpotè experientissimum,
& di-

& diligentissimum Anatomicum ductum suum
invenisse nihilo prorsus audito prius de illa
Dissertatione sub presidio Augusti Quirini Ri-
vini habita Lipsię Anno Christi 1679.

Sed neque tertius Arti Anatomicæ inventor
salivalium vasorum sufficiebat , vel hic postea
fuerit Bartholinus , aut ut alii dicunt Rivinus ;
Quartus enim occurrit oculatilis. nempe Anto-
nius Nuck , qui alia duo vasa salivæ , utrinque
intrà orbitam cranii sita detexit è pluribus sur-
culis in unum truncum coheuntia ad secundum
dentem molarem à posterioribus numerando sup-
erioris maxillæ , descendenter , ib que orificiis
in supraemá utrinque gingivæ parte conspicuis
manifesta , cujus inverti occasionem narrat his
,, verbis citatus Author . Cum antè tres cir-
,, citer annos ductus salivales , tam superiores ,
,, quam inferiores , ductus itidem lacrymales ,
,, & vas excretorium naribus proprium exami-
,, ni meo subiicerem , tūm temporis in subie-
,, cto , quod præ manibus habebam canino ,
,, stenonianos ductus examinandi causa potis-
,, simum intentus ; ecce præter expectationem ,
,, aliud ostiolum , non nisi ad distantiam dua-
rum , vel trium linearum mathematicarum

„ à stenoniano dissitum, in altero se prodit la-
 „ tere, stylum immisum non nisi in ipso pri-
 „ cipio admittens; incertus itaque viam ul-
 „ teriorem varie exploro, modò iursùm, mo-
 „ dò deorsùm, mox iterum antrorsùm, & re-
 „ trorsùm, tandem recta quasi linea obliquè
 „ sursùm tendere, stylumq: ad latitudinem
 „ pollicis admittere observavi: Rei novitatemu-
 „ tamen non admirabar, & Naturam, sit ve-
 „ nia verbo, quæ in variis Iudere solet, lu-
 „ dentem considero, minimè cogitans, quod
 „ in opposito latere simile conspiciendum fo-
 „ ret ostiolum; in quod uti in priori, ubi
 „ stylum immitto, ad eandem etiam distantiam
 „ subsistit stylus; interim occupationes aliæ
 „ aliò me vocabant; quapropter in inquisitio-
 „ ne horum, tūm temporis ulterius non insu-
 „ davi, verum in proximè subsequenti subie-
 „ sto canino, atentiore mente illa examini su-
 „ biicienda equum duxi; in cane itaque ma-
 „ jori, primò statim intuitù, ductus hujus of-
 „ culum in uno, & altero latere se prodit, haud
 „ absimili modo, ut in priori subiecto. sty-
 „ lum tamen paulò altius, quam quidem in
 „ priori, canis enim erat major, admittebat;
 post-

„ postmodum in aliis subiectis caninis horum
 „ oscularum Ductuumq; inventio adeò facilis
 „ fuit , ut primo statim intuitu illa apparuer-
 „ rent ; ideoque necessum non habeo plurimis
 „ subiectis illud confirmare , nec etiam opus
 „ fuisse putabam , oculatos aduxisse testes
 „ cum ipsa autopsia , cuique curioso manife-
 „ stum esse possit ; nec etiam primò inventio-
 „ nis tempore aliis comunicavi , quòd , uti
 „ sepiùs jam vidimus , aliorum plumis super-
 „ bire plurimi soleant . Præter autem quatuor
 hæc vasorum salivæ genera , nimirum præter
 duo interiora Vvartoni , quæ à Pet. Dionœ
 inferiora vocantur , & duo exteriora majora
 Stenonis , quæ à cit. Dionœ superiora dicuntur,
 atq; duo alia juxtà Vvartoniana sub lingua
 aperta , & observata à Bartholino , ac Rivino,
 ut diximus , necnon alia duo ultimo loco de-
 tecta à Nukio , innumera minima reperiuntur
 in toto palato , faucibus &c. in quibus par-
 tibus innumeræ pariter sunt glandulæ salivales,
 quæ vascula per compressionem facilimo de-
 monstrantur negotio ; dum sic silicet per ea
 omnia , inquit præclarissimus , & nunquam
 satis Laudatus D. Joh. Jacob. Manetus in-

Append. ad oper. Paul. Batbetę , liquoris salivalis in glandulis subiectis, unde producuntur, contenti, & expressi guttulæ emannantes conspiciuntur , unde glandulas omnes , quæ oris cavitati salivam subministrant , ejusdem generis vasa excretoria in os emittere docuit Blancardus , quam tamen humoris expressionem in os fieri per poros membranæ investientis oris internas partes existimant alii . Quomodo autem salivalis iste liquor secernatur , nunc videndum restat , quæ dè rē plures à pluribus Authoribus habentur sententiæ ; antequam verò magis receptas opiniones de secretione salivæ exponam , cogitatum circà salivalem generationem Michaelis Doringii , Sennerto communicatum , Lectori hic priùs exhibere non incongruum puto , utpotè quia curiosum inventum esse mihi videtur ; coctionem igitur , ait ille , non quæ fit in ventriculo saltem , sed in omnibus corporis partibus ellixationi responderet arbitror ; ellixationem verò destillationi , quæ per cucurbitā fit , similem esse reor , & ut in hac ē sub cucurbita resolutæ rerum destillandarum partes subtiliores vaporum forma in impositum alembicum feruntur , in eoque in fluidam

vidam substantiam coagulantur ; ita in elixatione, tam quæ arte in culinis fit, quam quæ à natura in animaliū corporibus perficitur, idem quodammodo spectare fas est : Etenim in arte quidem coquinaria olla cucurbitam, operculum, alembicum? in animantibus vero ventriculus, pulmones, & reliquæ substratæ partes cucurbitam, caput alembicum perbellè representant ; Quandò igitur ventriculus ciborū concoctioni incumbit, eosque connata sua proprietate resolvit, ac in chylum convertit, evaporationes multas oriri, atque id, quod volatilius in eis existit, salisq: volatilis subdulcis naturam participat, ipsis permisceri, hæc que invicem, vel in oris cavitate, vel cerebro ipso concrescere, ac humoris specie in faucibus cumulari, à vero non est alienum . Verum enim vero relicta hac inaudita Doringii de saliva opinione, aliorum sententias de ejusdem secretione videamus . Nonulli à facultate quadam salivatrice, vel à proprio glandularum salivalium temperamento hoc opus fieri in ore statuunt ; Alii mediante quodam fermento hoc peragi putant, quod fermentum à succo nervo deducunt, eò quod nervos plures glandulis

illis se inferentes aspexerint; Multique à varia particularum, & porositatum proportione hanc operationem deducunt; Ego verò circa salivæ secretionem sentio, hanc salivares glandulas filtrare, & à sanguine separare, quemadmodum enim partes diversis à se invicem gaudent poris, ità quoque diversi generis liquores filtrant; hinc sanguis arteriosus, ex varię figuræ particulis constans, in salivales glandulas delatus, vel à partium ambientium præssione, vel à subsequentis sanguinis protrusione ulteriùs impellitur, donec perveniat ad angustissimos glandularum canales, ubi poruli adsunt diversæ figure, quorum aliqui, unius generis particulas, alii alterius generis sunt apti suscipere, undè salivalis liquor porulos ductuum saliva- lium ingreditur, lymphaticus autem ductus lymphaticos subit; reliqua verò massa, cuius particulæ ejusmodi conditionis non tenent per patentiores vias, venas scilicet transmittitur; non tamen quod sit putandum, salivam, & lympham omnem tunc à sanguine separari, nam mediante rapido sanguinis motu, multum lymphatici, & salivaris humoris cruori remanere permixtum, & cum reliquo sanguine cor ver- sūs

sùs per venas tendere , ut sic iterum circulans
do , nova salivæ materia glandulis possit co-
municari , dicendum est ; Quod ut clarè pateat
exibet nobis experimentum apertissimum cele-
bris Nuck ; ait enim , hoc ex eo constare , quod
venarum glandulis salivalibus contiguarum
ligatura , nobis copiosiorem assert salivæ secre-
tionem , sanguis enim tunc circulo impedito à
sanguine retròfluente , plures , ac ferè omnes
tali modò figuratas particulas deponit , in sa-
livales ductus mittendas ; Requiritur ergò le-
gitima partium pororum , & particularum pro-
portio ut salivæ separatio procedat ; sanguis
enim cùm constet , ex corpusculis quantis , &
figuratis , quæ per proportionata tantum fo-
ramina possunt transire , non autem per illa ,
quæ diversa gaudent configuratione , hoc illu-
due fluvidum in crurore contentum , vel exci-
pietur , vel excludetur , juxta diversam figu-
ram recipientis porositatis , & ingredientis par-
ticulæ ; quod etiam docuit Clariss. Jo. Bab.
Scaramuccius in Theor. 16. , idque manifestè
jam constat ex observatione sudoris , per cutis
enim foramina , seu porositates sudorem tan-
tummodò , non reliquas sanguinis partes emana-

re conspicimus, sic pariter in hepate separatur bilis, in renibus serum &c.

Ante quam verò caput hoc de salivæ ductibus, & secrezione claudam, nonnulla quæsita solvenda restant, primò nimirum, cur noctū talis secretio minor fiat? cùm tamen circulatio sanguinis procedat, ac diù? secundò, quò tempore salivæ secretio copiosior fiat? tertio, quantam salivæ quantitatem homo uno die secernat? ultimò autem, quarè saliva, cum ex particulis salinis constet, salivalem, non impedit secretionem? Ast ut ab ultimo hoc exordiar dubio, nimirum, cùm saliva modicam salis quantitatem in se contineat, quarè isti sales suis non h̄errent aciculis, & obstructionem non efficiant, & sic impedit salivalem secretionem? cui pro me responderit Nuckius dicendo, materiam salinam optimè suoluori misceri, eodem modo quò videmus per carnium poros æquali facilitate aquam insipidam, & saltam penetrare, cum tamen aliæ tinturę non penetrent; Ad tertium verò, nimirum ad petitam quantitatem diurnam in humano corpore salivalis humoris, dico in virg. adultæ etatis, in statu naturali duodecim horarum

rarum spatio uncias decem, aut libram unam
 integrum salivæ secerni, cuius tamen salivalis
 humoris pars expuitur, & alia pars deglutien-
 do, ventriculo traditur, atque cum cibis mi-
 scetur, ut suò loco videbimus; Ad secundū
 autem dubium, scilicet quò tempore major
 secretio salivæ fiat? notandum est secretionem
 talem copiosè fieri, cùm homo cibum sumit,
 post cibum assumptum verò in minori copia;
 nocte quidem omnino non cessat salivalis pro-
 ventus, licet minor evadat, prò rarò tamen
 observavi aliquandò tantam, ac talem de no-
 cte factam salivæ secretionem, ut dormienti
 molæstiam ferret, ità quod fuerit necesse, ut
 subitaneo modo exergefactus suffocationi pro-
 ximus exceptam ore salivam expueret; Ad pri-
 mum deniquè propositum quæsitum, nempè,
 cur nocte naturaliter salivalis secretio sit minor?
 hoc à variis dependere causis affero, croris
 enim motus tunc minor fit, ac tardior, & con-
 sequenter secretio fit minor; insuper cessante
 oris partium motu, salivæ exitus retardatur,
 & cùm animi motus, ut plurimum tūm tem-
 poris cessent, ita & latex salivalis moram con-
 cipit; hæc verò de ductibus salivalibus, ac de

salivæ ipsius secretione usque adhuc, quantumvis ruditer dicta sufficient.

CAP. TERTIUM.

De Usibus Salivæ humani.

SAlivalibus ductibus cognitis, ac secretione salivæ examinata, nunc dē usibus salivæ in corporis humani cconomia, ut disseramus oportet, ad hoc ut perfectam salivæ Theoriam habeamus; Quocircà plures esse usus salivæ assero, hæc enim deglutitionem facilitat; saporem siccioribus cibis inducit; sitim extinguit, oris partes interiores lubricat, sicque vocem, & sermonem facilitat, & in ventriculo alimentorum assumptorum promovet fermentationem, imò ipsius chylificationis in ore ponit exordium; de quibus omnibus aliquid in capite presenti dicamus.

Primò igitur cibis in ore masticatis admixta saliva facilem deglutitionem sua lubricitate efficit, quæ sinè illa ægrè, & difficulter procederet, ut patet in febricitantibus, aliisque salivali liquore depauperatis, qui cœculenta nequeunt

nequeunt deglutire ; quarè optimè Mat. Tilingius disp. med. de ferment. ait : *saliva cibis inter masticandum prò mixtione, subactione, & deglutitione promovenda miscetur* ; mutatisque verbis Martin. Schoochius de Ferment. cap. 19 *salivæ usum agnoscimus ad hoc, ut cibus convenienter dimitti possit usque ad ventriculum* ; Apud Senecam quoque , referente Schneidero de Cathar. lib. 3. Possidonius sat intelligit humidum oris salivale maximè requiri ad cibos deglutiendos, *receptas, inquiens, in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit, & quidquid excidit ad eosdem dentes lingua refertur, tunc verò salivæ miscetur, ut facilius per fauces subricias transeat.*

Secundò ex cibis siccioribus saporiferam qualitatem, idest sal sapidum elicit salivalis latex, quod sal alioquin sine humido nequit educi ; ex alimentis enim tincturam lapidam extrahit, illamque intimius ad gustus organum devehit, undè salivam prò gustū inservire ait Scip. Ferrarius sup. 6. Satyr Persj. , & sine ea sapore dessecere scripsit Zypeus Fund. med. part. 2. cap. 3. artic. 12. , hancque operationem salivæ per dissolutionem salis alimentorum haberi vult classis.

riss. Pomp. Sachius in System. med. cap. 8. sect. I. Quà propter linguam salivario rore debere madere ait illustriss. Lucas Tozzi in med. theor. cap. de gust. , quò ciborum salia exfoluantur & facilius in ejusdem papillas inserantur, ac sensum pariant suavem, vel insuavem, pròt lin- guæ adaptantur texturæ; hinc est quòd ipse Aristoteles lib. 2. de Anim., gustum esse tactus speciem sentit, & hoc idem innuit Archigenes apud Galenum , saporem explicans nomine doloris ; multum ergo contribuere dicendum sen- sui gustus salivaalem liquorem , imò tantæ ad talis esse necessitatis, ut prò varia ejus habitu- dine, affluxu, defectu, aut dispositione, quæ- vis assumpta alimenta , modò insipida , modò sapida , modò peregrini saporis appareant; mo- dificatæ namque partes alimentorum à saliva juxta ordinem naturæ se habente, transeunt ad papillulas nerveas , quæ in lingua , & prefer- tim ejus apice, numerosiores sunt, & se se in illas subtilissimè imittendo, spiritus animales diversimodè exagitant, & afficiunt, quas ner- veas linguæ papillas, seu fungulos, gustus esse instrumentum docuit Academ. Pisanæ Decus Laurentius Bellini Med., & Anatom. clariss. atque

atque Dominus meus semper colendus; in cap.
14. de organ. gustus, quem formaliter consi-
stere, ait Petrus Dionis in Anatom., in tremu-
lis motibus, quos alimentorum salia excitant
in spiritibus, dum nervos in quibus continen-
tur feriunt, adeò ut saline particule ciborum,
quæ salivalis humoris ope linguam tangunt,
eminentias papillares feriendo, undulationes ibi
excitant, quæ eodem momento, spiritus affici-
unt in nervis contentos, qui easdem deferunt
ad corpora striata, cum quibus continuitatem
habent; hæc verò eas animæ representant, qua-
les exceperunt, atque ità gustus tantummodo est
tactus corporum papillarium, quæ constant ex
extremitatibus nervorum lingue, excipientium
impressions à corporibus sapidis, quæ propriè
sunt alimentorum salia, à quibus eminentiæ il-
læ nerveæ afficiuntur; hinc Clariss. Malpi-
ghius de ling. ait, fusa illa saliva, salivæ comix-
ta proprio se imtri pondere in papillas, vel ope
aeris preuentis; arescente verò lingua papilla-
rum cęcos meatulos constringi, notat Fracassa-
tus de ling., undè deficiente saliva non sunt
apti ad excienda ciborum salia, si que pari-
ter gustus deficit: Notabiliter autem gustatū
juvat

juvat motus linguae, qui nerveis hisce papillis;
 salivam sale sapido imprægnatam fortius impel-
 lit, ita ut si acurate optemus saporum condi-
 tiones aquirere, alimenta lingue applicata ore
 tantisper volutare prius est necesse, donec mo-
 do sufficienti, ac congruo tempore evoluta sint,
 ex qua ciborum agitatione, resultat, ut non in
 unam papillam tantum, sed & in plures, parti-
 culæ sapide penetrare valeant, undè pluribus
 locis plus sapidi imprimitur, & melioris notæ
 gustus evadit; imò addit Clar. Bonhius, hac
 ipsa oris commotione salivam comodius expri-
 mi, & ad eliciendam saporiferam potentiam
 adduci melius; egregiè igitur Gerard. Joh. Vvos-
 sius de idololat. lib. 3. cap. 29. asserit, medium
 gustus, esse humorem linguam madefacientem;
 & hinc causam videmus ait, cur morbo regio
 laborantibus dulcia videantur amara, nempè
 quia saliva isto sapore est infecta, idque ob fla-
 vam bilem, quæ se per corpus diffundit; ita-
 que non falluntur ægri in eo quod se amarum
 gustare judicant, sed in illo falluntur, quod
 amaritatem illam cibi esse existimant, non hu-
 moris insisti; hinc matutino tempore melius sa-
 pores discernit homo, quia tunc lingua nondū
 alios imbibit satores.

Ter.

Tertiò dixi; sitim humectando salivam extingueret, undè fit, ait Diemerbroek in Anat., quod sputatores parùm sitiant; hinc est, quod sitis moderatricem salivam apello, quandoquidem impedito hujus liquoris effluxu, ad oris cauum, vel tali exsiccato humore, ut in Febris ardentibus, atque in violento cursu, & nimio exercitio, valdè sitis molestia, undè Dipsam vocavit Helmontius præconem laticis, vel deficientis, vel alieno vito corrupti; quem salivæ defectum sitim causare docuit Clariss. M. A. Andriolus Medicus præstantissimus, & Amicus meus semper colendus in suo Enchirid. med. par. 4. quibus ergo præcordia cœtuant, ac febrilli calore torrefcunt, lingua omni prorsus humore destituta, ut terra nimis solis ardoribus adusta finditur, quod passim à me, & ab omnibus Medicis praxim exercentibus observatur; hinc rectè salivam extinguere sitim scripsit nuper in sua erudita lectione Phisiocritica de salivali hominis liquore Excellentiss. D. Joseph Rocchi Florentinus Doctor egregius; quæ lectio impressa videtur in tom. 4. part. 6. lib. edit. Venetiis apud Albriz., cui titulus est *Gesoria di Minerva*.

Quartò , otis interiora , fauces , loquellæ
 organa , & œsophagum lubricat , & ità iermo-
 nem vocemque facilitat , & licet comune affer-
 tum sit , humidiora minus sonare , adeòque
 sonum habitare in sicco , hinc & glottis modera-
 ta , & proportionata siccitate gaudens magis so-
 nat , quam causâ tussis , & raucedinis vitioia
 lympha obsessa ; undè in blēsitate humidum vi-
 tiosè excedens non sinè causa accusat Vvedel-
 lius : Nihilominus tamen in humano corpore
 ità comparatum est , ut humido convenienti vo-
 cis instrumenta egere sit opus , maximè quia
 ad lingue volubilitatem , & assiduum motum
 in sermocinando tam necessarium , salivalis hu-
 miditas requiritur , quibus enim arent fauces
Vox faucibus berres , nec illi sinè maxima dif-
 ficultate loqui possunt ; hinc cantores sepè os-
 sibi abluunt emulsionibus , aliisque liquoribus ,
 imò etiam aqua , vel vino simplici , ut vocem
 edant clarioren ; Egoque sacrum Oratorem no-
 vi , qui sermonem cum animi fervore vix per-
 gere poterat , nisi paulisper biberet ; Adver-
 tendum tamen cum Blasio com. ad Vesling. cap.
 II. , si nimium abundet viscosus , pinguis ,
 ac tenax humor super organa vocis , planè mu-
 tos

tos fieri, & repente voce privari, quæ rursus reddit absumpta hac humiditate, quod fieri potuit in Filio Crœsi muto dè quo Herodotus, & in Ægle famio Atleta muto, qui narrante Valerio Maximo lib. I., indignatione accusus vocalis evasit, cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus, & præmium eriperetur.

Quintò demùm in Ventriculo alimentorum assumptorum fermentationem promovet, imò primarium eorum fermentum existit, ut innui quoq: in primo capite, ubi de natura salivæ sermonem habui; quamobrem optimè asserit Doctissimus Vir magni Parentis non minor filius Franciscus Maria Nigrisolius Medicus noster Ferrarien. præstantiss. in not., & obs. ad Jo. Corn. Meber liq. stypt., masticatione præparari cibos ad meliorem in ventriculo coctionem, cum enim hæc sit fermentatio, nec ista ritè fieri possit, nisi fermentanda sint benè priùs cominuta, & humido salivali permixta, sic neccessarius erit salivæ proventus in alimenta, adeòque optimus ejus usus; Chylificationis autem in ore ponit exordium humor hic salivalis, multumque illi, prodesse docuit Medicorum maximus

ximus Ludovicus Testi Amicus meus singula-
ris in Def. Aer. venet. prop. 1. cap. 2., cum
participet de natura fermenti quod in ventri-
culo reperitur; habet enim particulas quasdam
salino-volatiles, quæ faciliter, chylum effici-
ciunt; ideoque bolus panis masticati soli expo-
fitus chylescit notante Zypeo, & reliquiæ ci-
borum in dentium intercapelinibus remansæ per
salivam chylificantur advertente sapientiss. Luc.
Tozzi Amico meo semp. recolendo comen-
Aphorism. Hippocr. lib. 2. Aphor. II., quod
etiam cognovisse Avicennam colligitur ex lib.
I. fœn. I. doctr. 4. cap. 2. Hinc duo fermenta
ad chylificationem requiri dixit egregiè Vve-
dellius, extraneum nempè, & ventriculi do-
mesticum: extraneum est, quod extrà ventri-
culum, ad eum defertur, ut saliva, domesti-
cum verò est succus à glandulis in ipso ventri-
culo positis præparatus, quæ duo fermenta
similia sunt, eandemque habent essentiam, &
qualitatem, quia eadem à sanguine arteriosc
origo est, glandulæ tam unum, quam alterum
secernunt, & finis utriusque est idem; imò ad-
dit cit. Vvedellius in physiolog. reform., ta-
kem esse acorem in fermento ventriculi, qualis
est

est in saliva, lenem enim existere, & insipidum
ait, ad senium, acido-salinum verò in recessu;
nam si acidum esset explicitè potius præcipita-
ret, nec quadraret concoctionis, & chylifica-
tionis negotio; licet verò in longa abstinentia,
aliquando liquor hic fermentaceus Ventriculi
ascendat per œsophagum in oris cauum, ibi-
que à gustus sensu judicetur acidus, per hoc
tamen dici non debet, illum sua propria natura
acidum esse; adsunt enim glandulæ plurimæ
milliares in ventriculo, non alio fine fabrefactæ
à Natura, nisi ad secretionem liquidi ciborum
fermentatoris, quæ glandulæ in longa absten-
tia, & jejuno corrugatis plicis ventriculi, mi-
nus liquoris secernunt, & consequenter liqui-
dum fermentativum jam secretum, & in cavo
ventriculi otiosè habitans aciditatem contra-
hit ad acrimoniam majorem inclinando, sicque
pungendo, & irritando fibras ventriculi, ad apet-
tendum magis occasionem largitur, & famem
excitat; quamobrem ex salino-sulfureis parti-
culis, tam salivæ, quam succi ventriculo præ-
prii, fermentationem ciborum fieri judicamus;
cum prima emotio sit à sulphure, sed primaria
acrimonia à sale, sulphur enim dissoluit salem,

cumque ad fusionem deducit; hic solutus, & ate-
 nuatus acrimonia sua omnes alimentorum par-
 ticulas corrodit, pervadit, atque dissoluit, quæ
 operatio fermentatio dicitur, sive quæ homo
 vivere nequit, & quæ debili, ac vitiata homo
 miserè vivit; undè optimè docet Diemerbroek
 Anatom. lib. I. cap. 17. chylificantem opera-
 tionem adiuvari à saliva, quæ dessuper ab ore
 fluit in ventriculum; quò circa Job. ait, *ut*
glutiam salivam meam, illam enim fermentacea
 donari virtute demonstravi in cap. I. Dixi su-
 periùs, salivam in ventriculo promovere cibo-
 rum fermentationem, & licet per consuetudi-
 nem, multum salivę ab ore sputi nomine proi-
 ciamus, atamen plus alimentis commixtum,
 vel sine his ad ventriculum homine haud cogi-
 tante traditur, sic, & bruta cum nihil expuen-
 do reicant, omnem salivam deglutire viden-
 tur; observandum tamen, ad hoc, ut talem
 ædat operationem, salivam. nec nimis crassam
 esse debere, nec nimis aquosam, tunc enim,
 nec alimenta macerare valet, nec eorum ferme-
 nationem procurare, eò quod ejus spiritus, &
 salia, vel implicentur liquori nimium crasso,
 vel obruantur nimia phlegmatis affluentia: De
 hac

hac verò salivę necessitate , ac ciborum in ventriculo fermentatione , plura cupienti dabit illustris illæ Romanæ Sapientiæ Anatomicus Alexander Paſcoli Perusinus Amicus meus semper colendus in sua Anatom. par. 1. lib. 2. cap. 10. , imò talis necessitatis ad chylificationem peragendam esse salivam volunt aliqui , ut salivalem oris solum humorem agnoscant prò fermento ventriculi ; Hactenùs verò dicta de usibus salivę sint satis .

CAP. QUARTUM.

De Salivę proprietatibus , ac virtutibus .

VSibus , ac necessitate salivę in corporis humani œconomia prò viribus delibatis in capite antecedenti , nunc petit ordo propositus , ut nonnulla colligam in præsenti capite circa salivæ humanæ virtutes medicas , atque proprietates , quibus scilicet scatens salivalis humor , modò aliquas morbosas tollit affectiones , modò ad varios à variis adhibetur usùs , ut sic Medicorum non tantum , & Anatomicorum , sed Curiosorum quoque obtempe-

rem genio, salivam n̄ humanam ad plures & agri-
tudines remedium esse ait Calcagninus noster
Quantum comedatus à Gyraldo, tantum fœ-
datus à Jovio.

Hominis itaque saliva contrà serpentes, eo-
rumque morsus valet, si Pierio Valeriano, &
P. Zacchiæ credamus; hinc Aristoteles de hist.
Animal. ait *adversatur plurimis eorum hominis
saliva*, plurimis verò inquit, non quia verùm
non sit in cunctis, sed quia nondum de omni-
bus constaret, ut notat Vvossius de Idololatr.
gentil. lib. 4., Ut cumque hoc est saltem om-
nibus hoc præsidii datum Plin. lib 7. Et tamen
omnibus contrà serpentes inest venenum, feruntque
ictu salivæ, ut ferventis aqua fugere contactu;
hanc salivæ vim agnoscit quoquè Galenus, &
Scaliger, quam tamen negare videtur Severi-
nus de viper. cap. 15. Ast imprimis intelligen-
da illa hominis jejuni, quæ si in serpentem ce-
ciderit fugere jam dixi, velut ad contactum
aquaे ferventis; quod si in rictum ejus incidat
etiam mori ab Ophilio traditum est, indèque
Plinio hist. lib. 28. cap. 4., ac similiter in lib.
4. Poeta Physicus cecinit

*Est uique, ut serpens hominis que tacta salivis
Dispe-*

Disperit, ac se se mandendo conficit ipsa:
Etiam morsus à Serpente, si confessim salivam
illeveris vulneri, cohæbis venenum, ne ultrâ
se diffundet, hinc egregius ille Bellorum civi-
lium descriptor Lucanus in lib. 9. ait

Nam primum tacta deſignat membra ſaliva
Qua cobibet virus, retinetque in vulnere peſtem.
hoc remedio soliti etiam fuerunt uti Ophioge-
nes in Helleſponto circà Parium, de quibus
Varro, Plinio teste; ſcripsit, ſuo etiam tem-
pore fuiffe hiftic paucos eorum, quorum ſalt-
va contrâ iectus ſerpentum medeantur, ac col-
ligo inde, ſalivâ prius imbuere manus ſoli-
tos fuiffe, quandò ut ibidem ex Cratete,
Pergameno refertur, ſerpentum iectus contactu
levare ſolent, & manu impoſta venena extrabe-
re corpori. Admiratur autem Jo. Babb. Sito-
nus miscel. tract. 20. hanc vim humanę ſalivę
contrâ ſerpentes, aitque, hoc fieri ob diſſimi-
litudinem formalem, & ſpecificam, qualis, &
quanta eſt inter unum, & alia. Perſcrutantes
verò alii Philosophi cauſam, dixerunt, hoc fieri
ob magnam inter utrumque animal contrarie-
tatem (ſunt verba Pierii Valeriani lib. 14. hye-
roglyph.) ſerpens ſiquidem frigidæ, & ſiccæ

„ est temperaturæ , homo autem calidæ , &
 „ humidæ , hinc alterum alterius , visu , ta-
 „ ctuque exorrescere , humanoque i'puto tactum
 „ anguem æquè fugere , ac si ferventem in
 „ aquam incidisset ; id si penetrarit in fauces
 „ extingui ; quod verò ajunt pollere ad hoc
 „ jejunioris hominis salivam , sciendum , & ab
 „ jejunio quoquè mortuum esse pestilentem ;
 hinc fortis operationis esse illam salivam , quæ
 est famelici , & jejunis scribit Grebnerus in Med.
 vet. rest. cap. 4. imò ipse addit , se absque in-
 cantatione à sola hominis saliva occisum vidis-
 se scorpium , idque celeriter à saliva esurientis ,
 ac sitientis , tardè autem ab ea illorum , qui
 cibo , potuque fuerant impleti , quod idem
 legitur apud Galenum , & Aldrovandum de
 insect. lib. 5., insuper cujusque viri salivam ,
 viperæ , scorpioni , ac venenatis omnibus exi-
 tialem esse non tacuit in Theriac. Nicander ,
 cum quò sentiunt Plinius , Leu. Lemnius , &
 Casp. à Rejes in camp. Elys. jucund. quæst. n.
 24.; Hinc Venatores Serpentum , eos captos ,
 illicò saliva perfundi scribit Aldrovandus de
 insect. lib. 1. , cuius contactu villescere , &
 violentiam veneni deponere creduntur , de hac
 autem

autem re audiendus Marc. Aurel. Severinus de Vipera , scribens sequutus Ælianum , quod si viperæ collum summa cautione contineas , in osque illius diductum expuas , sputum in ejus ventrem delatum tantæ ei pernitiei est , ut inde vipera contabescat ; Alia per Matthiolum est observatio , quam lib. 6. notavit , viperas , capite per venatorem saliva perfuso , nec manibus contactas adhuc non parum villescere , ac veneni feritatem perdere ; Privilegium autem hoc antipharmacæ salivæ tribuerunt multi Plyllis , aut his , qui carnes viperinas esitaverint , nihilominus tamen , omnes uno ore predicarunt prærogativam hanc hominibus fuisse à D.O.M. inditam , non Marsorum , & Psyllorum privatam ; & sicut serpentes conterit humana saliva , sic , & ipsorum venena pariter fugat , ut monet Cardanus lib. 2. de Venen. , cui adstipulantur Franc. Valesius in Sacr. Philosophia , Fer. Ponzetus lib. 1. de Venen. , & Petr. Joh. Faber Myroth. lib. 1. : At de salivæ vi contra serpentes jam satis .

De Vespasiano narrat Svetonius , eum quendam è plebe lumine orbatum propria saliva applicata , luci restituisse , cuius rei fides sit pe-

nes citatum Svetonium, ac Tacitam, quò ad me firmissimè autem credo Jesum Christum, Redemptorem nostrum, non tantum Mutum, tangendo linguam, & aures saliva sua, de quò D. Marcus cap. 7., sed coecum. cuius meminit D. Joannes cap. 9., oculorum foveas tangendo luto confecto ex pulvere, & sua propria saliva, in integrum sanitati miraculosè restituisse.

Nutrices puellarum lichenas saliva curant, parùm nempè eà digitum rigantes, ac indè cū tem affectam confriccantes, idquè faciunt subindè, tanto scilicet intervallo, dum salivæ vires in lichene perdutent, & nondum sint extintæ, ipsamq: salivam ob suam subtillem, & atenuantem naturam tumores discutere ait Cornelius Hogelande. Triticum mandentes Rustici aliqui, illud trituratū, ac saliva permixtum ex ore trahunt, atque furunculis impoununt, celeriter eos digerendo, ac concoquendo, ut advertit David. Grebnerus loc. sup. cit. Salivam contrà cancrum mammarum utilem esse docet Paul. Ammannus med. critic. cap. 37., illamque vi cosmetica pollere tradidi ego in mea Zoologia part. I. cap. 23., & in ulcetibus

ribus prodesse scribit Jo: Schroderus.

Jejuni, ac fani hominis salivam illitam herpetem curare ait incomparabilis D. Lucas Schröckius addit. ad Heluig. obser. 38., hocque facere scribit; per hoc, quod Tachenius in Hippocr. chim., latens in ea agnoscat alchali, accido istius morbi contrarium, quod ipsius vim pungentem infringit, atque absorbet, unde legitur apud Leu. Lemnium de occult. nat. mir. salivam jejuni hominis, mentagtam, impetiginem, Variolas, serpiginem, omnisque generis pustulas abstergere, & si cui parti corporis virulentæ bestiolæ infederint, crabrones, Scarabei, buffones, araneæ, tūm aliæ, que suo contactu, tumores dolorificos, atque inflammatorios inferunt, illius salivalis liquoris confricatione, omnes illæ pravæ affectiones discutiuntur, quod idem Ant. Mizaldus confirmat. In oculorum morbis valere ajunt Vvedelius in Miscel. A. N. C. dec. 2. ann. 6., & Henric. Salmuth comm. in Pancirol. rer. deperd. & tubercula extuberantium hemoroidum salivæ jejuni cęgri ipsius inunctione fuisse cohercita in eodem loco fatetur cit. Vvedelius; De vulnere pariter oculi saliva humana curato in pucro

12. annor. expertus notat in Miscei. Acad. Curios. decur. 2. Ann. 3. Excellentiss. Jac. Aug Huneruolius, & salivam in quā sal dissolutum ad glutinanda vulnera comendat Vveslingius obser. 13.

In parte artritide affecta contrā novos insutus munienda, saliva infricata manè comendatur à Franc. de Leboe Sylvio lib. I. prax. medic. , quià , ait ille temperat utrumque acre & roborat partes . Ganglia, seù nodos in campo existentes frequenti salivali frictione, absqu aliorum usū medicamentorum curavit Calmetteus, ut ipse refert in Enchirid. Chirurg. lib. II

Se notasse scribit Maidalchinus in suo libro cui titulus *Delizie bistoriche* . Rusticum in Apulia contrā febres , & venena usum fuisse saliv aquæ commixta , & armentis quoquè morbis, & canibus rabidis aspersam salutem intulisse . Curiosum quidem remedium ad menstru evocanda docetur à Clariss: Petro Romellio in Mif. Ac. Nat. Cur. An. 8. dec. 2. obs. 181. ait enim , si virgo, vel Mulier menses suppressos pristino fluori restituere, seque ab indè promannantibus , & pullulantibus valdè molestis ne dicam periculosis symptomatibus liberam cupiat

cupiat, Emmenagoga tamen, sive medicamenta quæcumque fluxum lunarem ciere solita respuat, illa missis aliis, cibum aliquem du riorem, vel saltim panem, à virgine, vel muliere reipsa tūm menstrua paciente præmansum, & masticatum, probèque saliva menstruatæ imbutum, & madidum ex ore illius immediatè ore suo proprio accipiat, & exemplò quasi voti sui compos fiet, mensesque ritè denuò flue-re incipient; nec omni prorsus ratione destitutum esse videtur, hoc sit venia nomini, Euporiston, quià cibus, vel panis probè masticatus salivâque menstruatæ copiosè subactus, ori, salivæ, & fermento ventriculi egrotantis communicatus, & commixtus particulis suis alinis, & fermentativvis facilimè, etiam magneticè organum aliquem, & sanguinis fermentationem, indèque obstrunctiones deoppelantem, motum concitare potest, Symbolum tuum etiam conferre hic poterit in corpore, & mente ab inconsueta hac cibatione, & ut mihi videtur non sinè aliqua horroris nota, excitata alteratio; Verendum tamen, ne si curatio per fœminam minus bona valetudine præditam, & morbosam instituatur, simul etiam morbosum

mias-

Eniasma, & principium alteri, curam sustinendi per transplantationem communicetur, Chribdimque vitans in Scyllam incidat, seròque cum Phrygibus sapere dicat. Ad tollendas cicatrices propriam salivam affricari jubet Plateus. Daicum salivali menstruo madefactum uteri strangulatum juvare asserit Mulierus. Ammoniacum à Matre jejuna masticatum, & in puelli oculo albugine laborantis immissum optimum esse ait Petr. Bayrus, imò livorem sub oculis à percussione factum emendare Cymini probè masticatum, & impositum docet Daniel Becherus; Quin, & ciminum quoque sic masticatum contrà culices valere ait Sangallo.

Salivam robur afferre infantibus inquit Mattholus in 2. lib. Dioscorid., cum puerorum corporibus mollibus panem ori imponunt Nutrices ore proprio priùs commansum, sic enim masticata alimenta facilimè digerunt; observandum tamen, nutrices sanas esse debere in h[oc] casu, nam morbum à saliva nutricis induxit notavit Sam. Ledellius Misc. Ac. Nat. Cur. An 6. dec. 2. observ. 62., in puerō vegeto, & saño, qui de repente corruptus est singultū, calore vigiliis, inquietudine, & crebra sternutacione

tione; ac inquisita causa, hæc fuit Vetula quadrangularia pulmentum infantis subministrans, quæ prius ori proprio ingesserat, & singulum præbiuum degustarat, dein ori infantis immiserat fermento febrilli inquinatum; tertiis ergo est, ut sanæ Matres prægustent infantum cibos, eisque ministrant, potius quam hoc faciant Vetusæ edentur, quæ hircum olearunt, & mephitis spirant.

Si intra aurém vermis devenerit, accipi salivam propriam, & eà aurem inungi vult Poppius in Thes. med., & ita aut morietur vermis, aut egredietur; Ad vesicæ calculum, & renū pellendum componitur emplastrum ex saliva, & Bdelio à multis commendatum. Contra convulsionem salivam hominis applicitam laudat Franciscus Joel Pract. lib. I.. Ad prohibendum nè crescant capilli refert citatus Becherus summi ferri rubiginem, testas marinas ustas, & cù saliva permixtas adhiberi. Optimam à contagiosis morbis præservationem, salivæ esse expunctionem monet Clariss. D. Jo: Jacob. Vvencesl. Dobrzensky de' Nigroponte, imò pestis præservatiuum optimum esse ait non deglutire salivā, maximè sic cum pestiferis agatur, ut faciunt Medicis

dici, Chirurgi , omnesque alii , qui peste aff
 fectis appropinquat: Ego verò Medicos omnes
 horror , ut quandò conversantur cum ægroti
 qualicumque morbo affectis, nunquam, quam
 diù intrà sferam vicinitatis talium morantur
 salivam degutiant, sed semper eandem expuant
 quicunque enim homo sanus ab homine infirmo
 facilem per salivam infici potest , nam a
 ægris tam per alitum , quam per excretionem
 sensibilem , & insensibilem , emituntur parti
 culæ , miasmata , seù efluvia apta ad inficien
 dum aerem ambientem , undè cubicula infirmi
 rum communiter quodammodo fetent , ut & Xe
 nodochia ; Medicus igitur loca talibus effluvii
 infecta intrans, infectum aerem in suum corpor
 atrhait , & sic præsertim salivam inficit , & di
 cegrum invisit , & loquitur inadvertenter salivam
 deglutit, quæ deglutita chylum , ex quo san
 guis conficitur coinquinat, à quo morbus, im
 mors ipsa causari potest : his de causis putat Ce
 leberimus Georg. Bagliuus in Romano Archi
 Lyceo Professor Medicinæ sapientissimus , at
 „ que Amicus meus semper colendus, morbi
 „ epidemicos, & contagiosos mediante salivam
 „ ab infecto aere conspurcata communicari, cu

pariter experientia suffragatur ; nam in hujusmodi affectibus ex contagione, egrotantes statim , atque primò conqueri . incipiunt de nausea, sapore linguæ mutato, & ad vomitum propensione , primaque contagiosorum malorum symptomata circa ventriculum , & hypocondria , per anxietates , vomitus, cardialgias, calores viscerum &c. manifestantur & quoniam eadem est tunica, quæ os, œsophagum, & ventriculum ex interna parte investit , præter salivam , illa etiam summo- perè facit, ut magnus sit consensus linguam inter , & ventriculum , ipsorumque morbi , & morborum causę facile , & ad invicem mutentur , quarè illi , qui pestilentium curationi interviunt , si vellint esse à contagio immunes , procurent quantum possunt , ut nunquam salivam deglutiant , cum qua morbosí , ac peregrini sales infecti aeris intimè mixti in ventriculo vires suas explicant , & morbum necessariò inducunt ; De hac autem è legi meretur ab omnibus Practicis erudita obserratio 170. Anni 9. , & 10. primæ Decūjæ Miscelan. Acad. Leopold. Imperial. Nat. Cuiosorum.

Saliva tandem Microcosmi admirando natu-
 ræ miraculo Mercurius figitur, quò sic extin-
 eto in casibus variis utuntur Medici, ut con-
 trà Scabiem Melues, contrà Scrophulas Hilda-
 nus, adversùs Morphoicam faciem cum levi tu-
 more, & pustulis Crato, ad luem venereum
 Roder. Fonseca; quin & ad Alchimiam quoquā
 salivam homicidii facere ait Jo: Babbista Birellus
Oricalcum enim fulgidum, aurique instar re-
 dit ope salivæ, modo sequenti; Salem amme-
 niacum cum saliva conterit, & exactè permisce-
 ut fiat linimentum, quò perungit vasa ex or-
 calcho confecta, & prunis ferventibus imposi-
 ta rescicat, denique abstergit, & pannis line-
 perfricat, & unum, alterumque Alchimicum
 se vidisse ait Clariss. D. Ambros. Stegmanus
 Medicus Islebiensis prestantiss., & Acad. Cu-
 rios. Lumen, qui menstruum, vel soluens ca-
 tholicum ex saliva sibi promittunt, quā cum
 non solum sanguinem humanum in famosum
 Philosophorum lapidem mutare, sed, & qua-
 vis metalla radicaliter solvere putant; ista ve-
 rò somnia, ac Alchimistarum vanitates, quā
 libet homo prudens merito ridet; Audit quā-
 dem saliva, citatus scribit Doctor, menstruum
 uni-

Universale microcosmicum, ut potè quæ parti-
 culis suis salinis spirituosis sulphureis a calore
 vitali in tactum deductis nihil indissolutum
 mittit, quod proportionatum est corpori, ut
 facile hinc alimenta fermententur, digerantur,
 & facilius concequantur; Intuper quod aurum,
 cum utilante eximo nostro sanguine videatur
 sympathiam indicate, analogiam potius, quam
 veritatem physicam sapit; Lubens etiam, con-
 cedit ipse Auctor, quod saliva ob sal Volati-
 le, seu mercurificans, quod vocant, & sul-
 phur suum viscosum in liquorem rubicundum
 verti possit; num verò menstruum universale
 metal a solvens ex saliva sit sperandum, cre-
 dat quis veit, cras ego, hodie non; cum sa-
 liva, experientia teste, nec sufficit mercuriu-
 vium mortificare, quia solummodo viscosità-
 te sua illius particulas disgregat, exutus enim
 mercurius salivali humido totus in se iedit, &
 vivus exurgit: Ast si sani hominis saliva ad
 multa percipitur efficax; quid de his statui de-
 bet, qui Elephantiasi, Hectica, Scorbuto,
 Lepra, Morbo Neapolitano, alijsque contagio-
 sis affectibus sunt contaminati; equidem novit
 Levin. Lemnius de occ. nat. mirac., plures,

qui pustulas , & exantemata contraxerunt ad-
motis solumcò ori ciathis , quibus infectori
adheserat saliva , hinc ego Ægrorum domestici
cos moneo , ut abstineant ab usù vasorum
coclearium , poculorum , nitellarum , patina-
rum , strophiolorum , phialarum &c. quibus
ægroti utuntur ; hæc verò pauca , ac incompte
expositæ sint satis de proprietatibus , ac virtu-
tibus humanæ salivæ .

CAP. QUINTUM.

*De Morbis salivæ , ac de Mercuriali
salivatione .*

SAlivam rectè constitutam nostrę sanitati ma-
ximè conducere optimè ait in sua Prax-
med. Jo: Bernard. Gladbackius , eam
enim fovet , tuetur , optimique fermenti offi-
cio fungitur ; si verò præternaturalis effecta si
pessimos effectus in œconomia animali dissemi-
nat , sicut igitur , dum in naturæ statu existi-
quamplures optimos effectus in solvendis , d-
gerendisque humoribus parit , ut indè princi-
palem locum inter omnia corporis humani mer-
strua

strua meruerit ; ita è contrà dum ab illo statù recedit , morbosis infcta particulis , est morborum plurimorum origo ; hinc modò fit salsa , magis , quam par est , modò amara , nunc acida , nunc dulcis , modò verminosa , nunc mutat colorem , nunc excedit in copia , nunc minuitur in quantitate ; De præcipuis ergo salivalis hujusce liquoris affectionibus à Practicis observatis nonulla in presenti capite dicamus .

Immoderata , & frēquens salivæ excretio ptyalismus nuncupatur à Medicis , & à Sennerto deffinitur crebra , & involuntaria sine tussi , & screatu expuitio à nimia salivæ copia proveniens ; & si enim ex mala consuetudine quasi nonulli hanc expuisionem familiarem sibi reddant , dum inter loquendum , ac perorandum toties , quoties sententiam absoluerunt , expuunt , & ex medicaminum sputum provocantium usù quoquè hoc provenire potest , tamen de ea hic non est sermo , sed de præternaturali , cum obiectum præternaturam , scù saliva copiosior ad expuendum invitat ; hinc summoperè decipi , ait Clatiss. c̄tatis nostræ decus Bagliuus , „ illos , qui salivam prò inutili excremento ha- „ bentes ferè continuò spuunt , & ita magno

„ cum vice discriminatione ventriculum hoc natu-
 „ rali , & maximo necessario sapone privant
 „ quò non solum ejusdem fortes mundantur,
 „ & diluuntur ; verum quamplurimæ ipsius
 „ plicè blanda salivæ saudine confirmantur , &
 „ in debito tono , sive necessariae cibipatura ,
 „ contactioneque continentur , lymphæ gastricæ
 „ fermentativæ tales acciduntur , & excitantur ,
 „ aliquæ plures effectus optimi a descententi
 „ saliva producuntur , ut non mirer si tales ho-
 „ mines siccitate laborent , imo etiam pallore
 „ vultus , & urinæ cruditate , quorum non-
 „ ulla vidi in Puella propè suburram , in Pres-
 „ bitero juvene ad forum pilium , & in aliis ,
 „ hoc tamen intelligendum velim de sali-
 „ va sanorum , non autem si scorbutica , gal-
 „ lica , aut simili lue laboraverint ægotantes ,
 „ in quò casu , quoniam ipsa saliva mobila erit ,
 „ si frequenti sputatione nimium elicatur , ad
 „ salutem potius ipsorum erit , quam ad per-
 „ nitiem .

Ptyalismus dicitur à non nullis salivatio ; que
 tamen duppliciter considerari potest , uno mo-
 do videlicet pathologicè , ut in nostro hoc ca-
 su , altero verò modo Therapeuticè , & est remedii
 genus

genus , quando nempè virtute alicujus medicaminis salivæ affluxus ad os promovetur , inter quæ medicamenta pyrethrum proptercà herbam salivarem nuncupant aliqui teste Rhodio ad Scriboni imprimis cura per salivationem inunctione mercurii in gallica lue à nonnullis laudari solet , quamvis periculo non cadere monuerit Hildanus præsertim in Arthriticis ; de qua mercuriali salivatione etiam nonnulla in hujus capit's fine dicemus .

Dupplex autem quoquè est pathologica Salivatio , alia nempè essentialis alia symptomatica , & accidentalis ; Essentialēm definiō per crebram sputationem à copiosa salivalium glandularum humiditate ortam , ductusq; salivales patentiores reddentem : Fit iste morbus secundum Sennertum , aliosque veteris Medicinæ Proceres dum pituitos humor à capite ad os , & fauces defluens salivę se commiscet , eamque auget , atque tunc ptyalismi , & catarhi eadē generatio , & causa est , & solet ptyalismus , & catarhus nonunquam epidemius esse , id quod Anno 1565. accidisse refert Forestus , eadem de cau'a cum columellæ laxatione plerumque sputatio multa coniuncta est ; Ac-

» cedit eadem etiam in inflammatione , & ul-
 » ceribus oris ; deinde , dum ex ventriculo hu-
 » midiore , & pituita abbundante ea sursum
 » in os exurgit , sputoque semi scet , quod ma-
 » nè , seu jejuno ventriculo accidere solet ,
 » idque sàpè post morbos cronicos accidit ven-
 » triculo debilitato , & non rectè concoquen-
 » te ; neque tamen semper primariò è ventri-
 » culo aquosa illa pituita ad os confluit , sed
 » nonunquam ex intestinis , ut in vermibus
 » accidit , nonunquam ex liene , undè lienosi ,
 » & scorbutici Sputatores , & salivatores sunt .
 Juxta verò neotericos Ptyalismus ortum habet
 à copiosa glandularum salivalium humiditate ,
 & excedente , ductusque salivales patentiores
 redente ; sicque saliva plus & quo per os excer-
 nitur ; de hac salivatione morbofa longè clariùs
 distinctiusque hoc tempore nos pronunciare
 posse ait Silvius de Leboe , quam olim , post-
 quam non tantum viæ , vasaque salivam in os
 deferentia innotuerunt Anatomicis , non ita
 pridem , verum partes quoquè in quibus præ-
 paratur eadem , vel secernitur à sanguine , glâ-
 dulæ puta , & quidem non conglobatæ , ad
 quas , & à quibus feruntur vasa lymphatica ,

verum

verum conglomeratç, viis certis, & ductibus,
per quos in cavitatem determinatam suos li-
quores corpori utiles effundunt, donatae: Quem-
admodum igitur in statu hominis naturali, &
sano defertur saliva sola ex glandulis maxilla-
ribus conglomeratis in os, ita non raro in sta-
tu ejusdem preternaturali, defertur una cum
eadem saliva humor, vel pituitosus, & visci-
dus, vel serosus, ac tenuis. Quò ad diagno-
sim spectat morbus iste per se notus est, & qui
tali affectione laborant coguntur sinè tussi, ob
salivæ copiam assiduè expuere; quod si saliva
copiosa excernatur post cibum, indicat ventri-
culum male affici, & alimentum corrupti te-
ste Sennerto; De curiosa salivatione morbosa
deglutitionem liquidorum tantum prohibente
meminit Car. Raygerus misc. A. N. C. dec. I.
An. 4., & 5., obs. 10. in quodam Senatore,
qui solida facilimè deglutiiebat, liquida verò
neutram, ita ut sitim intensam, absque
tamen calore febrilli, nunquam potuerit potu-
retinguere, sed aquam cochlacitam tantum
ut, & alia medicamenta liquida sorbere debue-
rit, statim superveniente enormi quadam sali-
vatione, quę descensum liquidorum impedi-

vit; quamvis, & fluxus hujus pituitæ lentæ,
 ac viscidæ semper, & per totum morbum us-
 que ad finem vitæ duraverit, ut quandoque
 singulis diebus aliquot vascula hac materia im-
 pleverit; tandem ex vehementia mobilita con-
 tabescens, ut cutis ossibus hæceret, circa ini-
 tium Maii Anni 1672. placide expiravit. De
 perpetua salivatione ex ruptura vasorum salivæ
 mentionem fecit Ant. Deusingius; de ptyalism-
 o in Sene lethali Heluigius; de diurna sa-
 livatione cum mortu Gangrenæ Joh. Mackus;
 ac de Fœmina, quæ limpdam aquam copiosè
 ex ore rejicit, sic scribit in Ann. 4. dec. 2. M.
A. C. Excellentiss. Dom. D. Jo:Ludovic. Han-
nemannus Germaniæ, & suæ Academiæ Klo-
nensis, & nostræ Leopoldinae Societatis maxi-
mum ornamentum curiosiss. Quædam Matro-
 na honestissima magna cum virium debilitate,
 insignem aquæ limpidissimæ copiam ejecit; si-
 milemque calum in sua dilectissima Matre vi-
 disse ait; illa iam bis isto fluxu, & quidem
 summa cum virium prostratione laboravit; &
 quod mirum fuit, humor erat limpidus, om-
 nis odoris, & coloris expers, totoque cœlo
 ab iuncta differens; putavit ipse Hannemannus

vasa lymphatica aperta talem evacuasse mate-
 riā ; Att Sapientiā & nunquam sīnē laud-
 nominandus D. Lucas Schrock us in illius ob-
 servationis Scholio a Salivalibus ductibus ta-
 lem emanatio latice docuit . Econtra verò
 saliva potest deficere , quan o , vel non sepa-
 ratur ob vitium glandularum , aut obstructio-
 nem ductuum salivalium , vel non generatur
 talis substantia in cruro , sive generata ablu-
 mitur , ut in febre ardentī , longo sermone
 &c. dē q̄aib⁹ affectonibus curatio videatur
 apud Practicos ; Symptomatica autem sa-
 tio est illa , q̄e accedit morbis , immo aliquan-
 dō critica evadit , cum nempē ipsius ope Mor-
 bus aliquis sive acutus , sive cronicus termi-
 natur ; De symptomatico ptyalismo in
 Variolis plura collegit Riccard. Mortonus de
 var. , & morbil. , ac de quotidiana febri ure-
 tico - sputatoria meminit D. Benjam. Schafius
 M sc. Ac. Nat. Cur. An. 2. dec. 2. observ. 104.
 narrando dē quodam Juvene 24. Annorum ,
 qui quotiescumque febris incipiebat salivam ,
 & urinam reprimere vix poterat , sed continuè
 jam urinam , jam salivam in magna quantitate
 egeret , ut nē momentum quidem ab hac uri-
 nam ,

nam , & salivam egerendi irritatione liber esse
 posset . Critica verò salivatio illa est , quā
 mediante exoneratur natura , & saluti æger re-
 stituitur ; natura enim morborum vera medi-
 catrix in debellandis morbis varias sæpe vias
 admodum insuetas prò evacuanda causa mor-
 bifica invenit , sic ductus salivales ex glandu-
 lis hiantes eligit prò sanguinis depuratione ;
 humorisque pravi evacuatione , & ita morbos
 fœliciter profligat , talemque criticam morbo-
 rum solutionem , & quidem febris ardantis ex-
 bibet Guer. Rolfincius ord. med. lib. 3. Verti-
 ginis salivatione solutæ meminit Nicol. dè Ble-
 gny Zod. Med. Gall. An. 1. Salivationem in
 Phtisi criticam , & salutarem exponit Clariss.
 Dom. D. Job. Paul. Vvrlsbain. Med. Norim-
 bergensis præstantiss. , Archiater , & Comes
 Palatinus Cœsareus , Nobilis , & Acad. nat.
 Curios. Ephemer. director diligentissimus in
 dec. 2. Ann. 1. Miscel. Nat. Cur. obs: 122.
 Ptyalismum in variolis lethalem refert Bone-
 tus in Merc. compit. lib. 19. Etego Anno 1699.
 Mense Septembris scabiem fœdam in Milite
 quodam observavi , & mecum notavit Erudi-
 tissimus D. Hieronym. Baruffaldus Philosophia
 Doç.

Doc. egregius, & Amicus meus suavissimus, quæ
 cabies salivatione sponte orta spatio novem
 ierum perdurante, nulloque alio adhibito au-
 ilio sanata fuit. Non tantum verò critica po-
 est esse nimia salivalis effusio, & symptomati-
 ca, quatenus saliva potest peccare in quanto,
 erum etiā in quali errare, sicque morbos in-
 uere varios, prout variis odoribus, colori-
 us, atque saporibus imbuta appareat; obser-
 avit enim Borichius salivam, quę cum sac-
 ro poterat comparari in Ecclesiastico Hafnien-
 , illamque dulcedinem non fuisse laudabilem,
 uoniam oriebantur ulcuscula in lingua ex illa,
 & legitur in Misc. Ac. Curios. Ann. 3. Decur.
 . observ. 237. Salivam ad nauseam usque dul-
 em in se ipso, & in aliis notavit Clariss. D.
 alom. Reiselius Dec. 2. An. 8., cujus rei cau-
 m explicare difficile judicat idem Autor, cum
 on facile sit omnes in humano cor pore secun-
 as qualitates humorum, eorumque mutatio-
 es animadvertere, cum ignoremus plerumque
 uibus, qualibusque alimentis ægri fuerint usi,
 & in primis à quibus, qualibusque tam mirè
 terentur sapores, odores, colores, ac cæte-
 ræ humorum nostri corporis qualitates, & qui-
 dem

dem meo iudicio propter neglectam à plerisque
chimiam , cuilibet Medico amperè necela-
riam ; Hinc pariter salivalem humorem dulc-
eum nausea se vidisse fatetur D. Joh. Burgiu-
in Ephemer. Ac. Na. Cur. decur. 2. Ann. 3
obser. 172. , atque in Cive quodam se obsei-
vasse similem calum narrat Jo: Mat. Fabri Dei
2. An. 9. , qui cùm per scalias ruens sibi occi-
put vehementer concussisset , curatus tamen
nullum aliud patiebatur incomodum insolitum
præterquamquod saporem nullum nisi dulcem.
Similiter de Matrona quadam iputatione dulce
correptam meminit Theoph. Bonetus in Medicis
Septent. tom. 1. lib. 2.

Curiosam , & Eruditam Gustus depravata
observationem Medicam , à salivæ vito , mihi
comunicavit Excellentiss. D. Octavius Capellus
Medic. noster Ferrarien. præstantissimus , qua-
talis est .

Uxor carissima mei ètatis annorum 58.
temperamenti secundum totum calidi , & hu-
midi , capitis tamen calidioris , & valde sicc-
ut ex capillorum penuria , ex cute ejusdem ca-
pitis , in qua èstivo tempore rimaux apparent
ut in terra ex ariditate , nec non muci ex nari-

us, & sputi insuetudine ferè totali liquet, ex
 tribus maritis unicum partum fœmineum adhuc
 viventem decimo septimo iuxæ ætatis anno par-
 a, lauabilem nacta valetudinem, quamvis
 non omnino inculpatam ex intercalatis non ta-
 nac longis febribus, doloribus, fauciūm in-
 flammationibus, levī hemophysi, alijsque
 alio tamēn occurrentibus morbis; alacri animo
 in iebus q̄i buscum que domesticis, quamvis
 ab oris oribus etiam me invito obeundis, op-
 sumis viribus prædita, atque promptissima-
 menstruas purgationes illatis temporibus sem-
 per, copiosè, ac felicitè habuit usque ad an-
 num suum 52., quibus iatione ætatis deficien-
 tibus, cœpit levibus, vagisque dolorificis flu-
 xionibus modò genua, modo brachia, nunc
 intra, nunc extra articulos, pedum pollices,
 & manuum indices frequentius in festantibus tor-
 queri, a quibus vero nunquam lecto incumbe-
 e nec domum custodire fuit coacta, ab hisque
 opportuno tempore purgata ope aquæ stibiatæ
 convaluit, quamvis duo ab hinc annis illæ de-
 nuò recruduerint. Tandem anno 1698 circa
 diuidum mensis Noyembris queri cœpit de
 quadam ingrata dulcedine, quam continuo
 ejus

ejus lingua, & os percipiebant adeò, ut ne dū
 comedens, vel bibens, sed tacita, loquens
 vel orans omnia ipsi dulcia extremè viderentu
 octo, vel decem ab hinc diebus dulcedini hu
 se se coniunxit austertas ab ea non dissimilis
 quæ musto, vino, aceto, vel hujusmodi liqua
 ribus ebullientibus in vasis æreis, vel ibidem
 diutiùs immorantibus, æreamque tincturam
 austera attrahentibus accidere solet, ita u
 omnia; & singula comesta, & epota ipsi dul
 cia, ac austera saperent. Dulce austera pau
 cis post diebus in amarum cessit, amarum i
 acuti piperis saporem est immutatum, sapo
 hic in acidum spiritus vitrioli æmulum, acid
 in intensè salsum, hoc in acre veluti aceti, i
 quo diù pisces frixi fuerint conditi, hoc rursù
 in dulce, salitum, amarum &c. tandem
 uno verbo, per octo menses circiter modò in
 tensius, modò remissius omnes, & singuli præ
 fati, vel si qui alii dantur sapores, nunc bre
 vius, nunc diutiùs uno eodemque die, immo
 quandoque vna, & eadem hora perdurantes
 se seque alternatim immutantes miseram Uxo
 rem affligebant, adeò ut ad mensam accede
 bat sapius lacrymatura, quam ut victu necel
 fario,

satio , quem stomachus alioquin sanus appetebat , frueretur . Plerumque dimidiam linguæ partem , sinistram nempe , magis affligi , & pravius degustare sentiebat .

Saccharum , & saccharata omnia illi non minus succo limonum acida videbantur , decoctū hordei lixivium sapiebat , liquiritię radix orę detenta acetum , ubi fuerint pisces conditi cunabatur , si aceto os collueret lapores omnes depravati instar incantamenti torpescebat , & obtusè , ac obscurè ab eadem paucis momentis percipiebantur , immò ab usu aceti , vel acetarii quandoque , non sempèr , aliquem bolū comedibilium suo naturali sapore præditum percepiebat , donèc à ductibus salivalibus novas superveniente supra linguam saliva dilueretur acetum , & hinc molestiores repullulabant depravati gustus sapores .

Ab ardore doloroso præsertim in parte lèsa ejusdem linguæ quandoque divexabatur veluti si aphtas , vel vlcuscula ibidem pateretur , vel sicuti si ab aliquo cœsculo nimis servido , & ebulliente offensa fuisset , immò impatiens mihi , & domesticis scèpè linguam inspiciendam , ac explorandam exporebat , quæ sempèr incolu-

Iunis, nulloque visibili defectu Iesu conspiciatur.

Vinum, aqua simplex, brodium, & potuientia omnia quamvis depravatè gustaret, minus autem insuavia eidem apparebant, quam res dentibus mansæ. A somno exergefacta in molestum in lingua sentiebat, sed ea mota, & infra os agitata sensim prefati sapores extabuntur. Spiritum vini si assumebat, hic magis depravatos sapores suscitabat, & adhuc suscitat.

Sensum gustus depravatè Iesum, symptomat scilicet linguae non legitimè sapores sentientis, molestam hanc Uxoris meæ affectionem esse unicunque patet, quam Galenus lib. primo de symptomatum causis cap. 40. de sympt: causis in gusto, & odorato elegantissimè sic descripsit. Monstratum enim est linguam eo quod duabus facultatibus sensui, voluntatique subseruit, duas quoquè actiones habere. Nunc autem eam veluti sentientem consideramus. Odoratus vero sensorium ipsos cerebri esse ventriculos indicavimus. Ac gustandi quidem sensus symptomata sunt, tum omnino nihil saporum sentire, tum non legitimè

gitime sentire . Cum autem non vitiosè :
 diminute quidem gustare , in visu ambylo-
 piæ , idest visus hebetudini , in auditu ba-
 ricoiæ , idest audiendi difficultati portione
 respondet . Vitiosè autem gustare , est velu-
 tì cum oculis , colore , figura , magnitudine ,
 vel situ mutata videntur . Hoc in auditu
 obauditio nominatur . Porrò morbi prædi-
 torum symptomatum , vel quæ in gustandi
 actione , vel quæ in potentia incidunt , par-
 tim in similari linguae substantia , & tunica
 , qua involuitur sunt , partim in nervis mol-
 libus , partim in loco cerebri , illo præser-
 tim , undè hi nervi originem habent . Ac re-
 liqui quidem prædictorum omnium morbi in
 manifesto sunt . Lingua verò vitiosè sapore
 sentire solet , cum extraneo humore est im-
 pleta . Quo casu quæ gustantur omnia vel
 falsa videntur , vel amara , vel alia qua-
 piam aliena qualitate dicibili , indicibili ve
 affecta . Tanquam enim in suffusis visiva vis
 foris se cernere judicabat ea , quæ in ipsis
 oculis inerant : itidem gustandi facultas ea
 quæ sunt in lingua , sensibilibus imputat .
 In arquatis quidem bilis amarorem non lin-

„ gusse esse ipsius , sed eorum quę gustat de-
 „ putans : in aliis vero quibuloam affectibus
 „ salsuginem , acoremve equaliis ipsis inesse
 „ imaginans : scilicet succo , qui extrinsecus
 „ accessit , vitiōsum linguę succum , qui prius
 „ quieverat , excitantes moventeque gustan-
 „ di autem vi non eum qui accessit , sed eum
 „ qui in se redundant , sentiente . Rarò sanè ac-
 „ cedit , sed tamen aliquando , ut lingua ex-
 „ gustandi perfectione priusquam aliquid gu-
 „ stet , succos quos in se habet , sentiat . Si
 „ mile hujus symptomā est , ubi in stomachi-
 „ cis affectibus , iuffusionis imaginatio oculis
 „ incidit , vel sonitus auribus cum nibilextiā
 „ sonet , sed motus ipse circā cerebri membra-
 „ nas imaginationes creat , vel odoris in nari-
 „ bus ab succo aliquo in his contento . Hec
Galenus: ex quibus elicetur talis symptomatis
 causam esse , per eundem , succum quemdam
 extraneum partim similari linguę substantię
 & tunicę linguam involuenti , partim nervis
 mollibus , partim illi cerebri loco undē oriun-
 tur nervi impacto .

Pro majori autem prefati symptomatis jux-
 tà Galeni mentem disucidatione necesse es-
 dis-

disquirere prius an gustus fiat in linguae carne,
vel ejusdem membranis, nervis, vel glandu-
lis, sed brevitatis gratia cum plerisque recen-
tiorum satius sit credere gustum fieri, cum
corpuscula salina insita rebus sapidis commu-
nicantur nerveis linguae papillulis ope humili-
eadem salia dissolventis, sive humidum istud
sit corpus per se sapidum liquidum, ut fru-
stuum, vel olerum succus, vel vinum, aqua
saliva, vel liquor, in quo res solidæ contritæ,
incocctæ, vel dissolutæ salia sua sapida dissoluant,
quæ salia ope hujusmodi liquoris linguae papil-
lulis imprimuntur, ex quorum salium diver-
sa, suarumque minimarum particularum con-
figuratione diversimodè per porulos linguae præ-
dictæ nerveæ papillulæ alterantur, ac afficiun-
tur, quæ diversa alteratio, seu impressio, que-
libet iuxta suam naturam, ac indolem, pro-
prii saporis ideam producit, quæ idea per ner-
vorum quarti paris fibrillas linguae implanta-
tas ad commune sensorium translatæ, menti sa-
porem unumquemque juxta speciem suam rap-
presents. Citor autem, vel tardior saporis
perceptio ex majori, vel minori fluiditate cor-
poris sapidi dependet, fluidius enim corpus

citius per linguę poros ad papillas penetrat ; ibidemque suum gustum imprimit , tardius vero quò minus fluidum , vel minus humidum exiit , idque linguę agitatione , ac ope salivae dissoluitur . aptiusque redditur ad penetrandū per poros ad papillas , qui pori ex motu linguae , & ejusdem humectatione magis ampliantur , salineque particulae comestī ex tali motu & agitatione sic melius per porulos penetrantur . subiectisque nerveis papillulis infiguntur , quod nullatenus contingit , vel saltēm tardè , & obesus immota manente lingua præsertim si huius res solidæ , & humido deltitutæ imponantur .

Sic gustum contingere non longè a præfata Galeni sententia recentiores Medici , atque Anatomici ostendunt , & experientię videtur consonum in sanis ; in infirmis vero puta febribus citantibus res diversimodè se habet , vel ob defectum salivæ ab ęstu febrili consumptæ , vel ipsius organi idest linguae præternaturaliter constitutæ , & quamvis in sanis etiam nonnullis quandoque pororum linguę tunicę insitorum diversitas mutet sapores , adeò ut ob prædictorum pororum diversam structuram , & configurationem dulcia V.G. insuavia videantur , &

amara , suavia , immò , & aliis quibusdam
ingrata delitiosa appareant ob eorum particu-
larem imaginationem talia grata , vel ingrata
judicantem , nostro tamen in casu rem diversi-
mode se habere arbitror .

Salivam ergo ex glandulis sublingualibus ,
aliisque in faucibus , pa'ato , totoque ore dis-
persis continuò linguam humectantem , hujuscē
depravati gustus pr̄cipuam esse causam in Uxo-
re mea dilectissima semp̄r animo habui , &
quamvis organum ipsum non videatur omninò^u
inculpandum , forsān ex vitio nerveis papil. u-
lis , vel linguæ porulis , quod ipsis totum
fortè imputare posset aliquis , nihilominus ta-
le vitium majori ex parte salivæ adscribendum
~~con~~ se pluribus ex causis .

Primò quia si vitium tale inesset organo ,
potulenta æquè displicerent , ac res solidæ den-
tibus mansæ , & saliva humectatę , ac dissolu-
tę , nam hæc semp̄r magis depravato gustu ,
& sapore præternaturali à Matrona fuere diiu-
dicatæ , quām epota , vel succosa , & liquida ,
undè patet , quod saliva dissoluens salia rei man-
sæ imprimet iisdem salibus quid magis sapidū
præternaturale , ac imprimat corpus fluidum ,

& humidum non indigens saliva pro suarum salinarum partium dissolutione.

Secundò liquet hujusce vitii causam insitam esse salivæ, quia abiente cibo, ac potu adhuc extranei, præternaturalesque sapores diversi ab ægra percipiuntur, & quo magis ipsa movet, & agitat linguam loquendo, vel orando, deterius se habet, quam si linguam immotam teneat, quod magis constat statim ac à somno eadem expurgiscitur, in quo sensus omnes sapiuntur, à somno verò reviviscunt, & per consequens reviviscit, & in lingua gustus, cuius vitium si insitum esset soli linguæ, hæc sola etiam immota suos pravos gustus saltèm obtu- sè, & obscurè redderet sensibiles, sed statim ac ea commota madefit à saliva illicò extranei sapores excitantur, ergò isti potius à saliva dependent, quam ab organo, vel saltèm majori ex parte.

Ulterius cum id non contingat in sanis, & naturali gustu præditis, quorum saliva insipida absente cibo, ac potu nullum edit in ore saporem, ratum idcirco manere debet in nostro casu salivam hanc æterogeneis, minimisque corpusculis salinis, iisque sylvestribus copio sissimè

Uissimè esse imprægnatam , à quibus modò intensius , modò remissius , nedùm cibo , potuve præsentibus , verùm etiàm iisdem absentibus linguae poruli alterantur , ac feriuntur , nerveisque papillulis imprimuntur , & juxta eorundem salium prædominantem symmetriam hujus vel alterius saporis idea ibidèm impressa per quarti paris neruulos lingue insertos ad sensorium commune defertur , undè mens talis , vel talis alterius saporis , juxta obviam ideam , judicium facit .

Ab ejus sanguine arterioso precalido , multaque acredine , atque falsedine in hac muliere familiaribus in laboribus quandoque vilio-ribus (me in cassum prohibente) nimis sollicita , producta fuisse præfata salia æterogenea , illaque totam salivalem massam (arteriosi sanguinis recrementum) infecisse pro certo habendum , cuius sanguinis arteriosi non solum , sed & venosi acidosalinam indolem indicant dolosæ , & semiarthriticæ fluxiones , quibus ratione senii à mensium defectu obnoxia est , nec non rimulæ in capitis cute æstivo tempore apparentes cucurbitularum incisionibus similes ; & quamvis aliquis posset inferte eam in tanta

acidosalinarum particularum copia , quibus
ejus scatet sanguis , cutaneis affectibus scabie
videlicet , & hujuscē generis morbis , potius
quām aliis p̄dictis correptam rationabilius es-
se debuisse : respondere possem ex hujusmodi
salibus ipsam in scabiem , vel alios hujus ge-
neris morbos non incidisse , quoniam credere
fas est talia salia esse summē fluida , & volati-
lia , ideo que neque in scabiem , nec alios cu-
taneos affectus fixantur , immō nec in veram
arthritidem , quippe salia hæc lentoris , vel coa-
guli sunt nescia , si enim patientis nostræ san-
guis lympha crassa scateret solita p̄dicta salia
irretire , ac fixare , sputo , mucoque non esset
hæc Matrona destituta ut superiūs descripsi .

Rato igitur per me hoc fundamento judica-
vi pro hujuscē molestissimi symptomatis cura-
tione opus esse p̄fata æterogenea salia è totâ
sanguineâ massâ eliminare usu absorbentium ,
dulcorantium , & eorumdem salium infensa-
spicula retundentium , in quem finem postquā
hyberno tempore ad eam exacte purgandam
improprio , inanitèr gargarismis , & apophle-
gmatismis penè innumeris , diversæque natu-
ræ plurium , ac plurium Excellentissimorum

Viro,

Virorum mei familia ium Comprofessorum
 adiutus prudentissimis consiliis usus fuerit ,
 circa finem mensis Aprilis anni 1699. prescri-
 psi universalem purgationem , lævioribus , ac
 benignioribus insistens lenientibus potius , quam
 purgantibus , alterantibus ex succis cichoreæ-
 ceis , & vaccino sero depuratis ; phlebotomiq
 ex partibus superioribus , ac inferioribus plu-
 res celebratæ , toto tandem ex purgato corpo-
 re ad Aquam Stibiatam Pomponacii dictam
 tanquam ad sacram anchoram confugi per dies
 circiter 30. copiosè de more propinatam : ait
 omnia hæc exiguo cum levamine fuere perpe-
 trata , undè locale remedium tentavi venarum
 sublingualium incisione , à parte afflcta è dire-
 sto humores ibidem (si qui forent) impactos
 detracturus . Apertis ergo raninis venis efflu-
 xit sanguis intense rubicundus aliquantulum
 crassus ad uncias novem circiter , & quod ex
 hac operatione valdè proficuum expectabam ,
 fuit , ipsam Uxorem dum sanguis ex ore pro-
 fluebat omnes sapores quoscunque extraneos
 eodem tempore confusè , & indiscriminatim
 autem adiuncto calore persensisse , quasi tunc
 temporis gustus depravati minera tota exbau-
 rire .

riretur; ast neque id nisi leviter profuit, nam
præterquam quod pluribus diebus ob inflam-
mationem circa incisas venas, & ibidem sitas
glandulas subortam, difficulter cibum, po-
tumque admittebat à calore, & frigore actuali
eduliorum valdè molestata, sedata postea in-
flammatione gustus perseveravit depravatus li-
cet parùm remissus.

Cum itaque tot rationabilia tentamina ex-
plurium Amicorum Collegarum astensu, & con-
silio irrita, & inania fusi: m expetus, ad fa-
matissimum, & sapientissimum Dominum, no-
stri Almi Collegii Ferrarensis vetustiorem, ac
verè venerandum Virum accessi, cui ennarra-
ta molestæ hujus affectionis historia, & omni-
bus administratis præsidiis, ejus Oracula im-
ploravi, qui humanissimè confirmavit tam in-
fensi symptomatis causam inesse patientis flui-
dis æterogeneis salibus, iisque sylvestribus heu-
nium scatentibus; quarè cum jām Canicu-
lares imminerent dies potandis mineralibus
aquis peropportuni, suasit Villenalem aquam
eidem copiosè de more propinarem, huic dum-
taxat innixus fundamento verè rationali, so-
lam aquam salia dissolvere, & ad nihilum red-
dere.

dere . Villensem ergo aquam copiosè usurpauit primis diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis verò usque ad quindecim cum suco limonum, & quandoque cum spiritu salis , sed nec prospero eventu , nam nec illam totaliter eiciebat , undè paucum fuit experta etiam ab hoc præsidio levamen, quarè tam longa diæta, tantisq; incassum fatigata medicamentis , iisdem omnino abrenunciavit.

Jam quartus excurrit annus hujus vitiosi gustus , qui quamvis ab anno circiter valde, & sine comparatione eam remissius astigit, cum ferè omnes sapores in præsenti naturaliter sæpè degustet , attamen plerumque de duobus solummodo saporibus præternaturalibus quasi continuò conqueritur salito nimirùm , & acri, & præsertim immidoente, vel præsente aere humidu, ac pluvioso , sicuti in simili acris constitutione ab arthriticis doloribus, levibus tamen, citò advenientibus cum tumore in extremitate digiti indicis utriusque manus , & pollicis utriusque pedis, paucis horis , vel ad summum infra duos dies evanescuntibus , & pro aeris mutatione citò recurrentibus . Hactenus Excellentiss. Capellus supra laudatus .

De Amico suo quodam refert Ros. Lentilius Ann. 4. dec. 2. M. A. N. C. qui dum loquebatur, salivæ guttas, quasi per syphonem eructabat, quæ continuò in albissimam calcem concrecebant, si quid autem circa hoc coniendum, putat citatus Doctor, particulæ alkæicas terrestres à spiritu salivæ nitroso solvi, quò spiritu exalante in calcem coagulari, undè Excellentiss. The seus noster, salivam in orbem stanueum eructatam concreuisse in calcem albissimam, quatenus magnam continebat saltedinem, notavit. Salivam verminosam concedit R. P. D Anton. Alberghetus C. R.S. nostræ Urbis ornamentum in Gen. Spont. cap. 22. part. 2., & in quodam Hamburgensi vidit Clariss. Joh. Doleus Milt. Acad. Curios. decur. 1. An. 9., & 10. obs. 131., similemque salivam minutissimis scatentem vermiculis se vidisse pariter affimat Lèvenoeckius; & licet Rever. P. Philip. Bonnani Sacerd. Soc. Iesu, vir magnæ eruditio's in suis obser. de Animal. viv. cap. 64. afferat, se nunquam potuisse in saliva optimis, perfectèque elaboratis microscopiis examinata, nec unicum vermiculum deprehendere; hoc tamen non evincit,

cit, talem morbum salivæ verminosum dari nō posse, quem etiam ego prò ratissimo concedo, enim quia multa sunt, quæ ab uno observantur, ab alio non; absurdum siquidem eset dicere plicam pollentiam non dari, per hoc quod ego talem morbum usque adhuc non viderim, nec quia unus non videt, alius videre nequit?

A saliva morbosa, & præternaturali sordidi evadunt dentes, maximè quando tenacitatem majorem aquirit à cibo, vel à calida exiratione, quæ eam, dum ore clauso dormiunt exsiccando amplius incrassat; sic autem dentes oblinuntur, cum otiosi sunt nec mandunt & prius à cibò à quo solidiore præsertim ut pane, inter masticandum, alias abstergi, & poliri solent, non repugnantur undè iis, qui in uno oris latere cibos tantum conterrere solent alterius dentes hisce sordibus inquinatos plerumque esse, ait Platerus prax. tom. 3., limoque obductos, qui limus tandem in topum conversus, dentes non solum discollocat, sed & inequales reddit; verum, & saliva putris, & maligna in lue venerea, ex hydrogyri usù redita, dentes inquinat, & degenerat, simulque, ut vacillent efficit; Non

tantum verò in qualitate , sed etiam in deesse
 Et peccare potest humiditas salivalis , quem-
 admodum accidit in Antonia Drusi , quę si fi-
 des habenda est Sol no , & Sim. Majol. in Ca-
 nic. , fortè ob inopiam salivę nunquam spuit.
 Hæc autem de naturalibus salivæ symptomati-
 bus dicta sint satis , nunc ad artificia em sali-
 vationem deveniendum , quā mediante , &
 multi morbi sanati , & plurimæ exortæ ægritu-
 dines , atque mors ipsa aliquandò sequuta est ;
 Notabo igitur primò quomodò peragenda , &
 quid sentendum de salvatione presertim usua-
 li ex Mercurio ; secundò morbos nonulos per
 eam sanatos ennumerabo ; tertio ægritudines ab
 illa ortas enunciabo ; quartò demum casus ex-
 ponam , in quibus causa mortis fuit mercuria-
 lis salvatio .

Primus itaque inventor Mercurialis saliva-
 tionis , si Gabr. Fallopio de Mor. gallic. , &
 Clariss. Bernard. Ramazziro , credamus , fuit
 Jacobus Berengarius Carpus à Patria dictus
 Professor Chirurgiæ Ticinensis , qui floruit
 circà Annum 1522. teste Mercklino Vito de
 Republica Med. optimè merito , in suo Linden.
 renovat. , hic cum solus secretam hanc medi-
 cinam

cinam calleret , ità opulentus redditus est Iolo
 isto quæstu , ut testatus fuerit numeratam pç-
 cuniām 40000. scutatorum præter argenteam
 materiam , quæ omnia Serenissimo Ferrariae
 Duci reliquit ; Alii verò nostri scriptores hoc
 remedii genus ex Arabum schola deduxerunt .
 Diversimodè in usum dicitur mercurius ad sa-
 livationem ; nonulli enim frictione unguento
 mercuriali facta salivam movent ; suffici pauci ,
 alii emplastri , aut cinguli forma mercuriū
 adbibent ; & aliqui ad ptyalismum movendū
 per os assumentum exhibent mercurium . Mer-
 curialis inunctio autem talis est per Pareum ;
 Sumitur , ait ipse mercurius clarus , tenuis ,
 albus , & fluvidus , & quo putius sit per pel-
 lem arietinam colatur , concludum enim si com-
 primatur tenuitate sua penetrat , sordesque
 suas , & plumbeas admixtas fæces in interiore
 superficie relinquunt ; elixatur indè in acetocum
 salvia , roremarino , thymo , chamemelo , me-
 lilotto , iterumque colatur , & tot artibus ex-
 cultum in unguenta venit , & admiscetur ; ut
 extinguatur certius , diù est agitandum , & ve-
 lut tribulandum in mortario , ut in tenuissi-
 mas partes frangatur ; linimentiergò mercuria-
 lis

Iis hęc erit forma Rx. Argenti vivi p̄epar. ut
 sup. unc. 6. sublimati dracm. semis, Sulphu-
 ris vivi unc. semis, axung. porci, salis exper-
 tis lib. 1., vitel. ou. sub cinerib. coctor. num.
 iij. ol. terebint., & laurin. an. unc. 2. theriac.
 vet. & mitridat. an. unc. semis F. linimentū,
 ut artis est ; modus verò faciendi erit ejusmo-
 di imprimis sublimatum , sulphurque in pol-
 linem redigentur, tūm affundetur argenti vivi
 portio, simul , & axungiæ , mox , & vittel-
 Iorum induratorum , continuò omnia , & di-
 ligenter agitando ; his omnibus fideliter con-
 corporatis, tantundem rursus affundetur argen-
 ti vivi , axungiæ , & vittellorum , ac priori
 massæ incorporabitur , extremo loco affunden-
 tur olea , mox theriaca, & mitridatum , simul
 que omnia per diem integrum tundentur , hac-
 que arte parabitur laudabilis consistentiæ un-
 guentum , quò ipse Parcus multaties fœliciter
 usus est de qua re plura apud eundem Auto-
 rem lib. de lue vener. cap. 10.

Nonulos autem uti hoc te medio absque pur-
 gatione prævia , & venæ sectione ait Jungken
 in Prax. med. ut sic nullis evacuationibus infir-
 mati salivationis impetum multò melius susti-
 nere

nere queant infecti , quod tamen vituperant Lemery , & Frid. Hoffmannus ; Formula autem dessumpta à nuper citato Jungkenio talis est . Rx. Mercur. crud. unc. 1., Axung. percin unc. 2. m. Juxta Do cum verò sic se habet ; Rx. Mercurii vivi saliva hominis , vel ol. terebint. vel lilior. , vel lumbricor. extincti unc. 2. Ungu. de Altea Fennel. unc. semis , ol. Sucini dracm. 1. m. f. Ung. S. A. , & secundum Nicol. de Blegny Rx. Mercur. crud. , & puri lib. 1. therrebint venet. dracm. 3. diutissimè simul conterrantur in mortario æneo , quoique mercurius ext rctus sit , postea paulatim admisce Axun- siæ suillæ insulsæ libras duas , diutissimè omnia conterrantur , & ad ulum serventur , quam formulam et am comendat Lemery ; Cum unguento autem pomato permiscet mercurium præclarissimus D. Olinger Jacobeus in comp. Institut. med. sicque unguentum conficit ; Ilinimento verò tali , sive postea sit Parci , vel Jungkenii , vel Dolei , vel Blegny , aut Jacobei , aliorumque descriptionis , universum corpus ungi debet à pedis planta , ad caput , præter abdomen , & pectus , nè forte ledantur partes in illis cavitatibus contentæ ; ut verò litus suū

forciatur effectum æger igni luculento exponi-
maruntur, vel si debilis fuerit in cubile illina-
etur.

Unaquaque frictione, unguenti uncizæ quin-
que, vel sex absolumendæ sunt; in corporibus
verò delicatis, prima vice uncizæ quatuor suf-
ficiunt, iisdemque plantæ pedum, crura, fæ-
mora, nates, & brachia tantum sunt ioun-
genda; hæc tamen frictio iteranda est sæpe;

Quot diè verò unica ad summum vice facien-
da, manè jejuno si homaco, vel sub veſperam
duabus horis ante cænam;

Si post tertium illitum salivationis nulla
appareat inditia bis in die instituatur, mane,
nempe, & vespere, dumodò æger robustus
fit;

Hoc tamen notandum, non ultrà septē, aut octo
illitus progrediendum, & omnino ab his absti-
nendum statim, ac salivatio se se exerere inci-
pit; cuius imminentis indicia sunt, cum caput
dolere incipit, gingivæ, & lingua intumeſcunt,
vultus rubore ſuffunditur, & paucos post dies
os ulceribus obſidetur, ſputum multum, &
frequens prodit, exactisque aliquot diebus os
aphtis ſcatet, tunc loquela impedita est ob in-
ſignem

signem palati , & lingue ardorem , quæ nisi
 cibro abluantur tepida , dolores intensi acci-
 dunt , eoque tempore indesinenter fluit saliva ,
 comite intoleando tetore . Qui Iuis venerez
 capiunt curam per mercurii fumum , vel ex
 cinnabari vugari prunis iniecto , ut Olier . Ja-
 cobo placet , colligunt , vel immittunt sex
 drachmas mercurii crucibulo ab igne candenti ,
 quod prunis imponunt , ut æger perforatæ ca-
 th. die insidens , aut sub conopæo comodè co-
 latus illius fumum excipiat ; interim ne hic
 caput feriat collum linteo , aut panno cingitur
 quæ ad totus mercurius exhalarit , aut tabellas
 parant ex hieronio cum terebintina extincto ,
 aceto stilatito , bolo vulgari , & carbonum
 pulvere , ex cunctis his massam conficiendo ,
 quam canę superinducuut , & indè sub umbra
 exsiccandam reponunt ; Hæc tamen debet esse
 proportio , ut in compositione mercurius ter-
 tiam partem tabularum constituat , cuius pau-
 latim semunciam imponunt , vel uncias duas
 carbonibus ardentibus , vel crucibulo , cuius
 fumum æger excipiat ; Suffitus hic bis in die
 solet fieri , continuando donec pyralismus ad-
 venerit ; Silvius de Leboe autem afferit , talem

fumum, aut toto corpore excipi, aut solum
ore, talique fumo per corporis poros penetrâ-
re ad interiora, humores ubivis existentes glu-
cinosi, & acres paulatim soluuntur, & ad va-
sa salivalia deducuntur, undè instituitur ptya-
lismus; per infundibulum verò ab ore allum-
ptum mercurii fumum salivationem excitare
brevi tempore, quam habet citatus Autor prò-
eutissima mercuriali salivatione, quâ via feli-
citer perficitur, quandò in partibus externis
ulcera existunt, quæ fumo viam concedunt ma-
gis pateniem, atque ita citius curantur sine ul-
lo metu suffocationis, tantum enim salivæ sin-
gulis elicitor vicibus, quantum videtur posse
comodè ferre quisvis æger; quin æstate, aliave
aeris tempestate callida instituta, concedit ægris
exitum, adeò ut vix, nec nisi ab hujus rei pe-
ritis deprehendi queat; parùm nempè cinnaba-
ris, cum mastice, thure, benzoino, myrra,
succino, laudano, alii que junctæ, prunis quo-
tidie, aut diebus alternis iniicitur, mox im-
posito infundibulo fumus ore excipitur, uti
antea dixi, levisque salivatio excitatur, quæ
postea renovatur, nisi spontè ipsa continuet;
Amonet tamen Vvedellius in Amén. mat. med.
lib.

lib. 2. sect. 2. cap. 16. Medicos ut abstineant & tali mercurii suffitu, quia hoc pacto fumus mēgis pulmonem ferit, quam partes extimas afficiat, undē facilior iētio, quam usus, licet talia suffumigia ex mercurio in Gallia frequētia esse, & prēmissis præmittendis etiam non sūnē notabili successu, usurpari afferat Frider. Hoffman. com. in Jo. Scroder Pharm. lib. 3. cap. 25.

Superius dixi, esse aliquos, qui emplastra rum ope salivam movent in Syphillide eliminanda, & ij bac via procedunt. Tellæ tenuissimæ inducunt quantitatem sufficientem Emplastri de Vigo quadruplicato mercurio ex cuius massa effingunt emplastra admovenda pedum plantis, tibiis, fēmoribus, natibus, lumbis, dorso, scapulis, collo, brachiis, prēcipientes ægro decubitus, donec inditia salva iōnis se prodant, id quod non unquam postridiē accidit, alias tertio, quarto, sexto die, si nō spatio illo temporis salivatio non successerit recentia admovēt emplastra, & al quas adhibent frēctiones; Sic loco Emplasti de Vigo, sequens comendat Pareus, & comodē posse usurpari assertit B. Massæ emplastr. de Melilotto, & Oxi-

croc. ana untias sex, argenti viviextincti pari-
 ter untias sex, & ol. laurin., & de spic. reduc.
 ad formam emp astri, quod extendatur super
 alutam, imponendum articulorum locis; Alt
 consultius est duo loca tantum felig re, prò
 emplastris nucam, & prò unctione articulos
 extremos; In cingulo autem, vel minor, vel
 major apparatus adhibetur; ille, si solu extin-
 ctus, viscido quovis, cum gossipio in cin-
 guli modum suendo redigatur; hic verò, si aliq
 addantur, quale est cingulum Sapientiae Rulan-
 di, innoxium ut aliqui dicunt, medicamentū;
 Mindererus verò castigat empiricos, scabiosis
 audacter hoc applicantes, & Philip. Hæc te-
 terus damna eorum recenset, qui cingulo mer-
 curiali ad scabiem temerè sunt usi; Verum hic
 metus de nihilo esse ait Clar. Frid. Hoffnan.
 clau. in Scroder., si universalibus præmissis,
 topicā mercurialia rectè præparentur, & appli-
 centur, undè Petreus in Nosolog. Harmonic.
 tom. I. unguenta mercurialia, inquit, in
 contumaci scabie tutò, ac utiliter adhiberi pos-
 se, si universalia prius præmittantur, & inuti-
 lis, ac nociuus latex, anteà è corpore exter-
 minatus sit; hinc Rusticus quidam apud Thom.

Barthol'num cent. 3. hist. 79. , omnes eos cingulo mercuriali fœliciter restituit, qui pura corpora crebro medicamentorum à Practicis præscriptorum usù, obtinuerant, cachochimos autem exitio eripere haud potuit.

Multi postremò mercurio ore assumpto salivationem sollicitant, quatenus mercurium præcipitatum, album, aut rubrum, ore assumptū ad quantitatēm duodecim, aut quindecim granorum per sex, octo, aut duodecim dies exhibent, donec prodeat salivalis excretio, quā extimulat tamen licto præcipitato, granis vi-ginti mercurii dulcis Joh. Helfr. Jungken; Ad modum verò operandi circā salivationem à mercurio, quod spectat, me brevi expediam, verbis egregiè ad hanc rem prolatis ab Illustriss. D. Joh. Ludou. Hannemano Acad. Curios. maximo Lumine, cum enim argentum viuum, ait ipse in Ephem. Cur. dec. 2. An. 8. habeat in se, aciditatem summam, & penetrantissimam, & cum hæc aciditas insuper gaudeat intenſissimo æstu; prohibet quando argentum viuum assumitur ab homine, tunc archeus hu-mani corporis nexum frigoris, & calor. s(nam uterque in summo gradu inest mercurio) soluit,

hinc diversæ naturæ particulæ in luctam conci-
 tatæ nostri corporis humores liquant , qui li-
 quati , ac præssi à Mercurii ponderositate exi-
 tum querunt , & à calore mercuriali sublimati
 per os efluunt , quod autem calor , & frigus
 simul hic in actu existant , probant sympto-
 mata , quæ comitantur salivationem , ipsique
 succedunt , scilicet dentium vacillatio , intu-
 mescientia gingivarum , oris fœtor &c. , frigo-
 ri enim vacillatio , & tumor , calori autem
 oris fœtor debetur . nec mirum si vitali nostro
 calori communicatus mercurius , ad ossa quasi
 usque penetret , & poris omnibus corporis in-
 sinuatus , efficaciam suam manifestè admodum
 prodat , nam leni tantum calore idem cum me-
 tallis libenter amalgamatur mercurius , eorum
 demque porositates pervadit ; rectè igitur scri-
 bit Clariss. Bonetus in hoc reperiri partes sali-
 nas , & sulphureas volatiles , quæ receptæ à
 calore nostro actuantur , & in sero , lympha ,
 & saliva vehiculum quasi acquirunt . & ad mo-
 tum magis illas incitant , secernunt , ac fun-
 dunt , ut irrequieto motu exitum sibi querant
 in flucibus potissimum , utpotè quia ibi ma-
 xime glandulæ salivales excretoriaræ , & ductus

patentiores existunt ; In hoc ergo præcipue tota salivationis ratio versatur , recte Mart Ly-
stero apud Bibliot. Medic., à praæclariss. Man-
geto concinnatam , nimirum intra sanguinea
vasa lympham cohibendo , quæ jugi circuiem
